



Restaurierung
H. D. Lomp
36110 Schlitz



ΔΙΑΣΚΕΨΙΣ THEOLOGICA,

20

DE

OMNIPRAESENTIA

CARNIS CHRISTI,

PRO

B. GERHARDO,

Contra

M. WENDELINI EXERCITATIONEM LIV.

QUAM

Divinâ adfistente Gratiâ,

In almâ Pomeranorum Academiâ,

Consensu Venerandæ Facultatis Theologicæ,

PRÆSIDE

DANIELE LAGO,

S. Theol. D. & P. P.

Publicè ventilandam proponit

ALEXANDER RUNGIIUS,

GINGESTENSIS RUGIANUS,

S. S. Theol. & Philos. Stud.

Ad diem 24 April. hor. matutin.



GRYPHISWALDIÆ,

Typis Matthæi Doischeri Acad. Typographi 1662.

OMNIPRESSENTIA
CARNIS CHRISTI

PRO
BERNARDINO
CORNELII
IN ENDELIANA EXERCITATIONE
QUAM
DIVINA ACADEMIA GRATIA

IN ALMA POMERANORUM ACADEMIA
CONSTITUTA FACULTATE THEOLOGICA
FRANCO S I D E
DANIELLE LAGOU
S Theol. D. & P. P.

ALEXANDER RINGELUS
GINGERTENSTEINER
GRYPHUS WARDIA
Typis Michael Döhl bei Acad. Typographis



Ad
Præstantissimum Dn. Respond.




Pater Anchises, & avunculus excitet
Hector,

*Quot tibi præfulgent nomina clara,
facem?*

*Horum dum sequeris vestigia nota per orbem,
Te parili gressu fama sequatur anus.*

*RUNGIADÆ ut debent multum splendoris aviti,
Sic Patriæ reddant commoda RUNGIADÆ.*

PRÆSES.



Solvendo Christum mysteria sancta prophanat,
Dictu quod mirum! non bene sana cohors.

Rungius hoc secum perpendens, Præsides *LAGO*,
Unitum mirâ dexteritate probat.

Comprobo conatum, quo complex vota bonorum
Unquam ne jaceat perdita nostra salus.

Christus nostra salus, totus complectitur in se
Quicquid nos salvat cognitione sui.

Hoc firmat, dextrâ jugulatq; sophismata calva
Hæretici cætus Rungius arte Patrum.

Virtus hinc Patrum clarè spectatur in illo,
Floreat hæc semper splendidiorè satū!

*In honorem & amorem Præstantiſſ. Dn. Respond.
amicâ manu fuſum à*

M. BARTHOL. BATTO.

Recht

REcht so! so muß es seyn. Wer nach Frau Famen Hügel
Will durch den Nebel stehn/ schwingt zeitig seine Flügel
(Doch nicht wie Ikarus) zum Sternen Dach empoht /
Und bricht so durch den Dunst und düstre Nacht hervor.
Ahnt euren Vätern nach/ die fast vor hundert Jahren
Bey der gelahrten Welt in grossem Ansehn waren.
Die Tugend erbt auff euch. Mehr kan ich dismahl nicht /
Mein Föbus ist nicht hier / drumb hincket diß Gedicht;
Was murmelt Momus viel. Diß wird allhie gesungen.
Herr Rung hat recht und wol für seinen Satz gerun-
gen.

Mit eiliger Hand entworffen
Von

**Michael Segebaden/
Strals.**



Quantos in sacris profectus feceris, illud
Ex Cathedrâ, Rungi, dulcis amice doces.
Cedat ut ex voto tibi disertatio, & amplas
Inde feras laudes, corditus opto Tuus

Ex asse amicus

**Jacobus Krohn/
S. S. Th. Stud.**



POSITIO I.

OMNIPRÆSENTIA HUMANÆ CHRISTI
NATURÆ, QUAM PIA ANTIQUITAS PRIDEM NO-
BISCUM CREDIDIT, FUNDAMENTUM PRÆBET
PRÆSENTIÆ SACRAMENTALIS CORPORIS ET SAN-
GVINIS DOMINICI, IN EUCHARISTIA, SALTEM
REMOTUM, UTPOTE CUJUS SOLAM INFERT
POSSIBILITATEM: ACTUS IPSE PROBANDUS RE-
STAT UNICE, EX VERBIS INSTITUTIONIS,
TANQUAM FUNDAM. PROXIMO.

§. I.

IN primori fronte negat *Wendelinus*, ægrè id ferendum fuisse,
quod dogma Lutheranum, de communicatione Idiomatum, ad
stabiliendam ubiuitatem, pro asserendâ orali manducatione, ex-
cogitatum esse, scripserit. At quotusquisque Cynicorum, aut
tolerantiam presessorum musitet, vel æquo ferat animo, sto-
machoq; patienti concoquat, in tam arduo negotio, tam apertam &
atrocem calumniam? An titulo figmenti Lutherani censere fas erit,
quod veneranda Patrum cohors, tot retrò seculis, è Scripturâ sacrâ,
tradidit? Ac de communicatione quidem Divinæ Majestatis, tam
ex parte naturæ Christi humanæ, quàm personæ, realissimâ, consen-
sum Catholicæ antiquitatis disertatio proxima monstravit. De
speciali autem communicatione Omnipræsentia, quam Calviniani
communiter *Vbiuitatis*, & quâ sunt modestiâ, *Dianæ Suericæ*, *Deæ*
mammose, *agni bicornis*, *voce non absimilis Draconi*, *insensibilis cor-*
poris monstri, *portenti*, *fœtidi cadaveris*, & quibus non tandem hono-
rariis epithetis ornare solent, si ambigas, en! tibi testimonium B. *Am-*
brofii in caput X. ad Roman. *Vnus ubique est Christus, & hîc ple-*
nus, & illic plenus. Et in caput X. Luc. *Licet ubique sis, & stans*
in medio nostrum, non cernaris à nobis, erit tamen tempus, quando
universa caro te aspiciet revertentem. En *Cyrilli* Lib. XII. in Joh.
cap. XXXII. *In singulos partibiliter transiens Unigenitus, & ani-*
mam atque corpus eorum per carnem suam sanctificans, impartibili-
ter atque integrè in omnibus est, cum unus ubique sit nullo modo di-
visus. En! *Chrysofomi* homiliâ XVII. in caput IX. ad Hebr: *Quid*
dicis

A

dicis

dicis, nisi intraverit in cœlum, non apparebit DEO, qui ubique est, & omnia implet? Intueris quia carnis hæc sunt omnia. Paulo post: Unus ubique est Christus, & hic plenus existens & illic plenus, unum corpus. En! Theophylacti in caput XIX. Johannis: Igitur sanctum Christi corpus indivisibile est, & dividitur & communicatur, in quatuor partes orbis, usum præbens singulis, & uniuscujusque animam sanctificans cum corpore, per suam carnem unigenitus, & integer in omnibus est, existens ubique. En! etiam Oecumenii super caput IV. ad Ephesios: Ascendit supra omnes cœlos, & implevit omnia. Et quidem nudâ divinitate olim omnia implebat: incarnatus autem descendit, ut $\mu\epsilon\tau\ \sigma\alpha\rho\kappa\omicron\varsigma$ impleret omnia. En! tandem Bernardi, in sermone de cœnâ Domini: Qui totus & integer sedes ad dextram Patris, unius horæ momento, ab ortu Solis usque ad occasum, ab Aquilone usque ad Austrum, præsto es omnibus, unus in multis, idem in diversis locis.

§ II. Quæ in contrariam partem è Patribus objiciuntur, vel ad proprietates corporis omnipræsentiam pertinere, atque ad eodem modo cum $\lambda\omicron\gamma\omega$ illi competere, hoc est, per se, negant: Vel crassos localis extensionis conceptus improbant, & corpus Christi, quoad ordinariam præsentiam Physicæ $\delta\iota\kappa\omicron\nu\omicron\mu\iota\alpha\upsilon$, in cœlo collocant. Hoc sensu Augustin. Epistola LVII. Non consequitur, ut quod in Deo est, sit ubique, UT Deus! nempe $\kappa\alpha\theta'\ \alpha\upsilon\tau\omicron\varsigma$, per immensitatem Essentia. Vigilus Lib. IV. contra Entychianos: Christus est ubique, secundum naturam Divinitatis suæ, & loco continetur, secundum naturam humanitatis suæ. Et Cyrillus in caput III. Johan. & cap. XXI. Conversatio Christi secundum carnem, & præsentia corporalis (ratione modi) fuit subducta.

§ III. Accedunt, ad retundendam Wendel. calumniam, suffragia Scriptorum quorundam Pontificiorum, quæ indices expurgatorii, nulli sententiæ de hæresi notatæ parcentes, intacta reliquerunt, Jacobi Fabri Stapulensis, Johannis Feri, & Friderici Nauseæ. Stapulensis enim, at quantus Vir! non Trithemio saltem, sed Conrado quoque Gesnero, Josiæ Simlero, Jacobo Frisio, Authoribus Calvinianis, in Bibliothecis suis, testibus, ornamentum Gallia, & celeberrimus ævi sui Philosophus: Si Sleidano autem credimus Lib. V. ad annum. 325. & Paulo Jovio, in elogiis doctorum Virorum cap. III. Francisco primo,

primo, Regi Galliarum, ejusque Sorori Margaretae, adeo gratus, ut captum etiam, a Carolo Quinto, Galliarum Regem Faber hic sollicitum tenuerit, tutelam ipsius, adversus Antagonistas, in literis hoc nomine ad Parlamentum datis, serio imperantem: tantaque ab omnibus reverentia cultus, vel ob canitiam, vel ob vitae sanctimoniam, vel ob tot vigilias in publicam utilitatem desudatas, ut nullus illi impegerit haeresin, referente Erasmo in prima Apologia, contra Edvardum Leum, Anno 1519. edita; ut ut nondum in gratiam cum Fabro tunc redisset, sed glisceret adhuc lis inter Fabrum & Erasmus, circa explicationem Oraculi Psal. VIII, 6. Minuisti eum paulo minus ab Angelis; exorta: & Budaeus, Francisci primi Secretarius, suscepto Fabri patrocinio, amicitiam omnem Erasmo propterea renunciasset, in Epistola, die ultimo Octobr. Anno 1518. Parisiis exarata, hac praefatione: Guilielmus Budaeus, haecenus Erasmi Amicus, ultimam salutem dicit Erasmo: ad quam tamen Erasmus respondit hoc ingressu: Erasmus Roterodamus, Guilelmi Budaei perpetuus, velit nolit, amicus, non ultimam, sed jugem & perennem illi dicit salutem, dolens dissidium a Fabro, & addens: Quod mones, fortasse facturus eram, si tum Budaeus ad manum fuisset &c. Is igitur Stapulensis in priorem ad Cor. III. haec profatur: Corpus Christi est, VBICVNQVE λόγος est, nam Verbum Caro factum est, quia Verbum NVS QV A M sine carne est, nec caro sine verbo. Vbisunqve sane Christus est, incarnatus est, incarnatus autem sine corpore non est, & magna est fides, cognoscens Christum corporaliter esse, ubi Sacramentaliter est. Sed major fides est, cognoscere eum absolute, VBI QVE corporaliter esse. Nam hoc est sine modo cognoscere, illud cum modo: Fides autem absque modo major est, quam quae modum habet. Nausea itidem, iudice Sixto Senensi, eximius Doctor, Concionator & Consiliarius Imperatoris Ferdinandi primi, in ipso Catechismo, quem Caesareae Majestati, Anno 1549. inscripsit, omnipraesentiam Christi, secundum utramque naturam, disertissime docet. Consona verba Johannis Feri, Doctoris Catholici, juxta eundem Sixtum Senensem, absque pari, plurimumque vide sis in confess. Cathol. B. Gerb. Lib. II. Artic. II. Cap. I. Quid? quod Pontificii in Lutheranorum doctrinam, de persona Christi, tum Articulo tertio Augustanae Confessionis luculentissime asserta, tum libris variis, contra Sacramentarios, ex instituto

defensâ, de principio nihil desiderarint. Quod neutiquam fuisset factum, si dignum atro carbone novitatis aliquod studium, ἐχθροὶ illi ἄσπονδοι, διδάσκαλοι ἄμιοφοι, imò pertinaciâ suâ duplices, juxta Scal. Magistri, hic animadvertissent. Ut verissimè Lutherus scribat in Articulis Smalcald. *De his artic. (Divinæ Majestatis, parte primâ exhibitis) nulla est inter nos & adversarios controversia, cum illos utrinque confiteamur: quamobrem non est necesse, ut pluribus jam de illis agamus.* Sed neque Concilium Tridentinum, cum zizania omnium hæresium stirpibus elidenda, radicitus evellenda, sub exordium singulorum ferè decretorum, receperit, & sub exitum sessionis ultimæ gloriatur: *se non credere aliqua incidere posse, quæ declarationem aut definitionem postulent, confusionem hæreticis, appendicis loco, tum apprecatum ardentem, tum severè, inter tormentorum bellicorum tonitrua, comminatum, ullo anathemate nostrum, de omnipræsentiâ carnis Christi, dogma percussit: retractum procul dubio illustri dicto Marc. ultimo v. 20. Illi prædicaverunt VBIQUE Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.* Indeq; Veteres Calviniani, in certamine Sacramentario, eundem arietem, Lutheranis pariter & Pontificiis, immittendûm judicarunt. Hodierni Papistæ, quamvis corpori Salvatoris saltem tribuant Multipræsentiâ, nondum tamen Calvinianorum causam orant: Siquidem ejusdem potentiae est, donare corpus omnipræsentiâ, & conciliare illi multipræsentiâ. Ut in colloquio Mompelgardensi Beza promiserit, demonstratâ possibilitate, ut unum aliquod corpus in duobus sistatur locis, fidem, idem in omnibus locis & sisti posse, & actu præsto esse.

§. IV. Sed videamus & vindicemus responsiones B. Gerh. Constat, ait, nos causam præsentiae corporis & sanguinis Christi in cœnâ Domini, non ponere in universali illâ præsentia apud omnes creaturas, sed potius in verbis institutionis καὶ τὸ ἑστὶν accipiendis, & potentia ejus, cui omnia sunt possible. Replicat Wend. In verbis cœnæ Dominicæ: Hoc est corpus meum: non plus præsidii invenit præsentia corporalis in, cum, & sub pane, & manducatio oralis, quam error Anthropomorphitarum in iis Scripturæ testimoniis, quæ Deo membra humana tribuunt, in quibus τὸ ἑστὶν etiam urgent hæretici. Syllogist. In quocunque nihil invenerunt præsidii Anthropomorphitis, id neque

in

in verbis cœnæ inquirendum est. In τῷ ῥητῶν nihil invenerunt præsidii
 Anthropom. E. nec illud in verbis cœnæ urgendum est. R. nos conces-
 sum iri majorem, ubi Wendel. vel συγγενεῖαν monstraverit & πει-
 ραλληλίαν, inter metaphoricæ Scripturæ phrasæ, quæ membra
 aliqua corporis DEO, quem Spiritum esse novimus, è Johan. IV, 24.
 assignant ἀνθρωποπαθῶς, intelligendæ θεοπεπεωῶς, & verba testa-
 mentaria Christi, quibus ultimam voluntatem testatâ effecit; vel li-
 centiâ argumentandi à particulari ad universale: Deserendum est in-
 terdum τὸ ῥητῶν: E. ubique; & sic etiam in institutione S. Cœnæ: atq;
 adeò transferendi, pro arbitrio, voces quascunque Spiritus Sancti, à
 significatione propriâ, ad impropiam, & ad sua somnia sacrum Co-
 dicem torquendi. Equidem si animum occupaverit erroris alicujus
 opinio, quicquid Scriptura dixerit, figuratum arbitrabitur, ut Au-
 gust. loquitur. Cum autem illa non sit ἰδίως Πειλύσεως. I I. Petr:
 I, 20. nefas nobis erit, uspiam à significatione nativâ vocum recede-
 re, citra gravissimam necessitatem, quam vel contextus, vel analogia
 fidei imponat. Admissâ enim semel desultoriâ ista levitate, τὸ ῥητῶν
 deserendi, ecquid tantâ perspicuitate tandem in sacris literis propo-
 netur, quin sub tropi alicujus prætextu possit depravari?

Verbum non fallit, multos speciosa fefellit

Glossa, DEI verbo nitere, tutus eris.

Cum primis testamento Salvatoris eam deberi reverentiam,
 ut tantundem hoc ipso contineri firmissimè statuamus, quantum
 τὸ ῥητῶν pollicetur, agnoscendum, si irritum reddi jam κεκυρωμένον
 Testamentum humanum nolimus, juxta argumentum Apostolicum
 Galat: III, 15. Tam diu contenditur de hereditate mortuorum,
 quamdiu testamentum proferatur in publicum, & cum testamentum
 prolatum fuerit in publicum, tacent omnes, ut Tabulæ aperiuntur &
 recitentur. Judex intentus audit, advocati silent, præcōnes si-
 lentium faciunt, universus populus suspensus est, ut legantur verba
 mortui non sentientis in monumento. Ille sine sensu jacet in monu-
 mento, & valent verba ipsius. Sedet Christus in cælo, & contradicitur
 testamento ejus? Aperi, legamus. Fratres sumus, quare contendi-
 mus. Qui fecit testamentum, vivit in æternum, audit voces nostras,
 agnoscit suam, legamus, quid litigamus? Vbi inventa fuerit ipsa hæ-
 reditas, eam teneamus, inquit August: super Psalm: XXI.

A 3

S. 5

S. V. Pergit Wendel: Neq; quisquam sanæ mentis crediderit, in centies mille locis, & sexcenties mille hostiis, (quis enim in tot locis, & longè pluribus, simul celebrari cœnam Dominicam, & tot atq; longè plures distribui hostias posse?) Vnum idemq; Domini corpus simul esse, nisi persuasum habeat, in omnibus simul locis id esse, nulloq; ita circumscripti, ut extra eum simul nusquam sit. Vnde Christi corpus in, eum, & sub omnibus hostiis, sacro huic usui, in tam diversis locis & subiectis, simul seruientibus, corporaliter præsens absq; omnipræsentia fungi, sine manifesta contradictione & insania, non potest. Hanc igitur omnipræsentia possibilitatem, tanquam ὁ πῶθεν, qui non substernit in ῥητῶ ἀβερνδο, admodum imprudentur se fatigat. Syll: Sine quocunq; præsentia corporis Christi in omnibus hostiis, citra contradictionem, concipi nequit, id fundamenti loco præsentia huic sacramentali corporis Domini in hostiis oportet substerni. Sine omnipræsentia incircumscripta, præsentia corporis Christi in omnibus hostiis, citra contradictionem, concipi nequit. E. Omnipræs: incircumscr. fundam. loco præsent. sacrament. in hostiis oportet substerni. Resp. I. Negando utramq; præmissarum. Majorem, quia neq; concipere licet, vel præsentiam Sacramentalem corporis Domini in hostiis, absq; his ipsis hostiis, vel λόγον ἐνοικητικόν, absq; carne; vel Creatorem, sine creaturâ; vel Patrem, absq; filio; vel Dominum, absq; seruo. Numquid a. ideò fundamentum erit præsentia Sacramentalis corporis Domini in hostiâ, hostia ipsa? fundamentū λόγῳ incarnati, caro? Creatoris, creatura? Patris, filius? Domini, servus? En subtilitates Calvinisticas! Minorem, quia cum hostiæ sacro usui destinatae nunquam in omnibus reperiantur locis, sed semper tantum in multis, ad quantumcunq; se numerum illa extendant, utiq; nec ad conjunctionem hostiarum cum corpore Christi Sacramentalem, statim Omnipræsentia Corporis Domini requiritur, sed per hanc præcisè sola ipsius Multipræsentia infertur. II. Disting: inter fundamentum remotum, & proximum. Illud supponere præsentia corporis Christi Sacramentali ejusdem omnipræsentiam, concedimus. Hoc vero sola suppeditat institutio Salvatoris. Omnipræsentia enim solam infert ὁὐαμιν præsentia specialis, qualis est Sacramentalis: Ab institutione autem Dominicâ pendet, præsentia hujus actus ipse, dum testatur, præter facultatem Authoris, simul voluntatem, ad quam aliàs

Calvi-

Calviniani potentiam Dei absolutam perperam restringunt, petentes illius descriptionem è Psal: CXV, 3. *Deus noster in talis est, Omnia quæ voluit fecit:* Cum plurima sub potentiam Dei absolutam cadant, quæ non vult. Sicuti potuit etiam è lapidibus excitare filios Abraham Matth: III, 9. mittere itidem Christo duodecim legiones Angelorum Matth: XXVI. 53. at neutrum tamen voluit. Aptè Damascenus lib. I. de Orthod: fide cap: ultimo: *Θεὸς πάντα, ὅσα θέλει, δύναται, ἔχ' ὅσα δὲ δύναται, θέλει.*

§. VI. Addit porro Wendel: tertio loco: *Ejus qui loquitur omnipotentia, sufficiens argumentum pro ῥητῶν non est, nisi simul de voluntate constet, neq; omnipotentia Dei nos abuti decet, ad stabilienda nostra præjudicia, uti nec ad contradictoria ea extendi debet.* Syll: *Quicumq; abutuntur omnipotentia Dei ad stabilienda sua præjudicia & contradictoria, ignari divinæ voluntatis, illi malè agunt. Lutherani abutuntur omnipotentia Dei, ad stabilienda sua præjudicia & contradictoria, ignari voluntatis Divinæ. E. Lutherani malè agunt. Resp. negando minorem. Abunde patefaciunt voluntatem divini Testatoris verba testamenti, si sensu nativo proprioq; accipiantur. Cujus quidem observationem solertissimam maximè nos decere, vel in quolibet Testamento humano, Ictorum pronunciata docent: Non est recedendum à verbis Testatoris: quia talis præsumitur fuisse intentio, qualem verborum proprietates importat. Si contrarium volebat testator, nulla erat difficultas, ita disponere. Quod testator non loquitur, nec velle præsumitur: finibus verborum contenti esse debemus, quia nulla dispositio ultra egreditur, quam verba pariuntur. Lector itaq; instrumenti, solutionem habet quesiti. Absit autem minori curâ & industriâ, in lectione aut interpretatione Testamenti divini, versemur. Præjudiciis corruptos Calviniani se ostendunt, vix digna verba Testamenti Dominici ducentes, quæ sub sinistri oculi contuitum revocentur: indeq; quidvis potius agentes, quam ut præconceptam ἀδυναμίας opinionem, inveniendi in Eucharistiâ Christi corpus, animo evelli sinant, minusq; fortiter videantur *θεῶν φυλάττειν.* Perinde ac Photiniani, ob præconceptam imaginationem impossibilitatis, ut unâ numero essentia tres participant ὑπεστάσις, nullis adducuntur documentis, ut Mysterium Sacros: Trinitatis revelari fateantur.*

tur: quin potius huc omnes ingenii nervos intendunt, ut perpetuis exceptionibus vim argumentorum Catholicorum eludant. Apparentem contradictionem dogmatis, de omnipræsentiâ corporis Christi, quâ ratione discutiat verbi divini fulgor, paulò post liquebit.

§. VII. In sententiâ Lutheri Tom. 3. Jen. fol. 393. Si maxime verba illa: hoc est corpus meum; nunquam protulisset Christus, tamen ex sessione ad dextram Dei sequeretur, Christi sanguinem & corpus, UT ubiq; sunt, ITA & in Cænâ esse; non alium intelligi præsentiae modum, quàm Generalem, series verborum indicat. ITA enim, ob sessionem ad Dextram Dei, præsens esse in Cænâ Corpus Christi ait, UT ubiq; est. Idem vult Dn. Jacobus Andreae, quando de Colloquio Maulbrunensi scribit: Nolo vos celare, quicumq; inter eos, qui Augustanam Confessionem profitentur, dicunt, se credere veram Corporis & sanguinis præsentiam in Cænâ, & tamen interea ubiquitatem negant, eiq; contradicunt, hos certè oportet aut Magicos Papistas esse, qui putant, quod per recitationem verborum Christi, corpus ante absens statim præsens è Cælo faciant & adducant, aut in intimo corde cum Zvinglianis sentire. Et Osiander in Conc. alt. de Cænâ Dn. si Christum humanitate suâ jam antea ubiq; præsentem esse negant, & tamen non volunt etiam ipsum Papistico more ascendere & descendere, vel ab uno loco in alium migrare, facile illis accidere potest, ut per noctem ignorantes, & ante quàm advertant, Zvingliani fiant. Speciatim præsentiae Sacramentalis solam possibilitatem (quam præfrictâ fronte negant, illis conclusuri cancellis Divinam potentiam, quam mentis humanæ captus ponit, Petrus Martyr Object. II. Contra Stephanum Gardinerum: Querimus vos dicere Corpus Christi esse in multis locis, quodq; Dei potentiam objiciatis: cum hoc ex illarum sit rerum genere, ad quas DEI POTENTIA se non extendit, nempe ut multis locis eodem tempore corpus humanum, salvâ suâ naturâ, diffundatur: Et Beza in Coll. Mompelg. p. 33. Non desinit Deus esse Omnipotens, etiamsi efficere non possit, ut Christi corpus uno eodemq; tempore pluribus locis essentialiter præsens sit, aut ut alibi nunc sit, quàm in cælis. Nec non Thomas Mortonus Episc. Anglic. in Decis. totius Controv. de Euchar. part. I. cap. 2. sect. I. Infideles NVLLO MODO corporis Christi participes esse POSSVNT. Item: Corpus Christi NON POTEST esse in pluribus locis simul) è sessio-

1701

è sessione ad dextram DEI colligit Lutherus in Confess. Maj. fol. 454. Wenn schon solch sein (Zwinglii) Irrthum wahr und recht were/ dennoch ist damit nicht beweisert/ daß Christus Leib im Abendmahl nicht seyn müge. Denn ich habe drauff gedrungen/ daß sie solten Grund zeigen/ warumb diese Wort falsch weren/ das ist mein Leib/ wie sie lauten/ ob gleich Christus im Himmel sey/ weil Gottes Gewalt uns nicht bewust/ Und er wol eine Weise mag treffen/ daß beydes wahr sey/ nemlich/ Christus im Himmel/ und sein Leib im Abendmahl/ &c. Denn daß ich beweisere/ wie Christus Leib allenthalben sey/ weil Gottes rechte Hand allenthalben ist/ das thete ich darumb (wie ich gar öffentlich daselbst bedinget) daß ich doch ein einige Weise anzeigen/ damit Gott vermöchte/ daß Christus zugleich im Himmel/ und sein Leib im Abendmahl sey/ und vorbehielt seiner Göttlichen Weisheit u. Macht wol mehr Weisen/ dadurch Er dasselbe vermöchte/ weil wir seiner Gewalt Ende nochmals nicht wissen/ &c. Actum autem, modo Sacramentali, Corpus & Sangvinem Christi in Eucharistiâ adesse, ut, mediante pane & vino, inter communicantes distribuat, atque ab his manducando & bibendo accipiatur, non nisi ex Institutione S. Cœnæ ipsius, probandum Lutherus censet, sequestratis Sophistis aperiant extra oleas evagandi, & simpliciores Chrysippæis argutiis perturbandi.

§. VIII. Hinc etiam B. Gerhardus triplicem adhibet distinctionem. I. distingvendum esse, monet, inter quæstiones de Christi voluntate, an velit nobis Christus corpus suum exhibere in S. Cœnâ? Et de possibilitate, an possit hoc ipsum præstare? Vtramque affirmari, sed illam ex verbis Testamenti, hanc ex utriusque naturæ Christi Omnipotentia & Omnipresentia. Instat Wendel. § 2. primò: Scimus aliud esse velle, aliud posse, & à potentia Dei ad effectum non valere consequentiam, nisi simul de voluntate constet: de hac verò ubi constat, planè impia est dubitatio de potentia. An autem verba Testamenti hanc DEI voluntatem nobis exponant, velle Christum in, cum, & sub pane, corpus suum ἀδιασώτως esse, & omnibus Communicantibus exhibere, velle etiam illud ab omnibus oraliter apprehendi & edi?

B

edi?

edi? *ἔπινομένον* est: Nos negamus, quia affirmatio & adversario-
rum interpretatio impingit in Dei veritatem, & potentiam (quæ ad
contradictoria non extenditur) & fidei analogiam; quæ ubique, pro-
pter DEI gloriam & salutem nostram, sarta tecta est conservanda.
Hæc quia τὸ ῥητὸν urgent obstacula, deserto eo, ad convenientem *Ἀγί-
νοϊαν* confugiendum. Quia verò nihil hic probat, nosq; objectio-
nes Wendel. contra τὸ ῥητὸν verborum Cœnæ, & ἀδιαφορίας rei
terrenæ & Cœlestis in Sacramento Eucharistiæ, peculiari Disputa-
tione alibi discussimus, demonstratâ sententiæ nostræ συμφωνίᾳ,
tam cum veritate & potentiâ DEI, quàm cum analogiâ fidei, non est
quod in præsentī *Ἀσιδοείας* hujus Confutationi diu impallescamus.

vid. sup.
§. IX. Instantiam alteram: Si Ubiquitas seu Omnipræsentia
necessariò sequitur Unionem hypostaticam, sequitur ex eâ non tantum
τὸ posse, sed & τὸ velle probari posse; diluit secunda Gerb. distinctio,
inter præsentiam sacramentalem, & Majestaticam. Quamvis enim
per modum Majestatis, seu præsentia generali, cœlum & terram im-
plente, Jer. XXI I I, 24. Christus corpore suo non tantum possit,
verum etiam velit adesse æquè pani Eucharistico, ac quibuscunque
Creaturis aliis (absque locali videlicet inclusione, vel attingentiâ,
cum ita ubique sit θεάνθρωπος & totus, ut neque excludatur uspiam,
neque includatur, hoc est, illocali quadam, hyperphysicâ, & Divi-
nâ ratione, à quâ omnes removeri dimensionum conceptus longissi-
mè oportet; non contineatur à Creaturis, sed contineat potius, &
manu quasi suâ gestet, Joh. X, 28. sustentet ac gubernet Creaturas
universas & singulas, cujuscunque fuerint conditionis) vi Unionis
hypostaticæ: de voluntate tamen adessendi, modo Sacramentali, tan-
quam specialiori, unice verba Institutionis nos informant.

§. X. Replicat Wend. §. 3. Neque quoad modum præsentia, quæ
consistit in propinquitate substantiali, ullo modo differt Sacramentalis
Lutherana, à Majestaticâ Lutherana. Differentia nō est nisi in subjecto.
Syll. Quæcunque pariter consistunt in propinquitate substantiali, illa
non distinguuntur adessendi modo. Atqui præsentia Majestat. & Sa-
cramentalis Lutherana, consist. in propinq. substantiali. E. non di-
sting. adessendi modo. Resp. limitando subjectum Majoris: Quæ-
cunque pariter consistunt in propinquit. substantiali, ὁλικῶς spectata,
ta,

tà, illa non disting. adessendi modo. Sic neg. Minor. Dicit quidem præsentia, ut sic, indistantiam, ac proinde utraque tam *Majestatica* præsentia Christi, quàm *Sacramentalis*, propinquitatem infert substantiæ: quia verò neuter præsentia gradus ἀνεπέστητον, affatim alterum ab altero discernunt conjunctæ operationes. Per præsentiam nimirum *Majestaticam*, ita corpore suo Christus adest Creaturis, ut illas indiscriminatim omnes potentissimè ac præsentissimè moderetur, & sustentet, Eph. IV, 9. 10. per *Sacramentalem* autem, ut manducandum nobis, cum benedicto pane, corpus, sic bibendum, cum vino, sanguinem offert; paratus per humanitatem suam, tanquam cognatum nobis organon, sua beneficia nobis applicare, confirmare & obsignare, atque adeò officium Vivificationis, etiam per vivificatricem carnem, in Ecclesiâ obire.

§. XI. III. Distinguit B. Gerhard. inter argumenta *adstruentia veritatem, & destruentia falsitatem*, quod illis serviant verba Institutionis, his dogma Omnipræsentia. Inst. Wend. §. 4. Nihil minus *adstruunt verba Institutionis, quàm præsentiam Sacramentalem Lutheranam: ut vel millies à nostris est demonstratum.* Ex Omnipræsentia dogmate, modò verum id esset, τὸ πρὸν Lutheranium, ἀδιασείσται, In, cum, & sub, firmisimè posset adstrui, & facile omnibus occurrere adversarius. Syll. Quæcumque hypothesis firmisimè infert τὸ πρὸν Lutheranium, & ἀδιασείσται panis atque corporis Christi, illa non saltem ad destruendam falsitatem, verum etiam ad adstruendam veritatem, à Lutheranis, in certamine Eucharistico, defenditur. Hypothesis de Omnipræsentia corporis Christi talis est. E. Resp. nos distingvendo ulterius tum inter illationē proximam, & remotam; tum inter ἀδιασείσται generalem, & Sacramentalem: Indeque dupliciter limitamus Majorē: Quæcumque hypothesis firmis. infert tum τὸ πρὸν Luth. tum ἀδιασείσται panis & corp. Christi sc. Sacramentalem, idque proximè, illa non saltem ad destruend. falsit. verum etiam ad adstr. veritat. defenditur. Sic fallit Minor. Ex Omnipræsentia enim carnis Christi, proximè tantum fluit generalis illius adessentia in, cum, & sub pane, tanquam Creaturâ Divinæ sustentationis indigente; præsentia autem Sacramentalis, inter Panem & Corpus Christi, tanquam Materiam Eucharistia

ristiæ terrenam & cælestem, *remotè*, quâ potentiam. Indeç: si per adversarios licuisset, nunquam his armis induti Nostrates in palæstra Sacramant. comparuissent, acquieturi facilè iis fundamentis, quæ ipsa articuli sedes complectitur. Postquam verò adversarii crepare, contra ὀρθοδοξίαν nostram, cæperunt Adscensionem Christi in cælum, ostendendum à Nostratibus fuit, qui vel millies quascunque Calvinian. φλυαρίας convulserunt, quàm imprudenter suo se gladio jugulandos offerrent, hoc est, confutandos firmissimè per *retorsionem*, cum eâ lege in cælum corpore Christus ascenderit, ut statim evectus ὑπεράνω πάντων ἑστανῶν, Eph. IV, 10. confederit ad omnipræsentem Dextram DEI Patris, Marc. ult. veluti paulò ante ex *Luth.* Tom. 3 Jen. fol. 153. percepimus. Manet igitur omninò non tam κατὰσκευαστικὸν, quàm ἀνασκευαστικὸν, quod ab Omnipræsentia Catholici depromunt, ad stabiliendam præsentiam Sacramentalem; firmamentum.

Pos. II.

OMNIPRÆSENTIA CUM PRÆTER INDISTANTIAM, CONNOTET, SCRIPTURÆ PHRASI, UNIVERSALE DOMINIUM, RECTISSIME DISCERNITUR, IN HUMANA CHRISTI NATURA, ILLIUS ΚΤΗΣΙΣ, UT ACTUS PRIMUS, ET CONSEQUENS UNIONIS HYPOSTATICÆ, A ΧΡΗΣΕΙ, UT ACTU SECUNDO, ET CONSEQUENTE EXALTATIONIS AD DEXTRAM DEI.

§. I.

AD priorem trigam argumentorum Wendelini, quorum I. petit ex *universalis historiâ Evangelicâ*, quæ testatur, ante & post resurrectionem, Christum corpore suo in terris hisce verè & propriè de uno loco in alium migrasse: II. è singularibus duobus historiæ Evangelicæ locis, in quibus expressè corpore suo dicitur abfuisse ab aliquo loco, Joh. XI, 15. Luc. XXIV, 6. III. ex articulis de verâ Christi *nativitate, morte, ascensione in cælum, & reditu è cælo ad iudicium ultimum*: Resp. Gerhardus I. Omnia argumenta à statu exinanitionis, à Conceptionis, Nativitatis & c. circumstantiis petita esse aliena: eò quod quæstio sit, an Christus, quâ homo, exaltatus ad infinitam



tam & illocalem Dei dextram, sit actu secundo omnipræsens, & re-
 pleat omnia? Distinguendum esse inter Idiomatum Divinorum com-
 municationem, & communicatorum totalem usurpationem; illam
 esse effectum solius Vnionis, hanc consequens exaltationis ad Dei dex-
 tram. Wendel. I. regerit §. 5. dissenlum Suevorum & Hasfiacorum,
 de $\chi\eta\sigma\delta$ & $\kappa\theta\sigma\delta$ Omnipræsentiæ, ac probè vult observari, supra
 modum grave Suevis accidere, quod Hasfiaci negant, Christum in sta-
 tu Exinanitionis $\chi\eta\sigma\delta$ ubique fuisse, sive naturæ, sive personæ actu.
 At citius tamen conciliabuntur Hasfiacorum, Suevorumq; $\lambda\omicron\gamma\omicron\mu\alpha\chi\iota\alpha$
 quàm vel cum Wendelino, ejusq; farina aliis Calvini de grege soci-
 ennis, omnimodam negantibus Corporis Christi Omnipræsentiæ,
 in gratiam redibunt, citra turpissimam oris & cordis discordiam:
 Beza part. I. quæst. p. 24. Si vis, illud etiam concedam, Christi quo-
 que humanitatem adesse præsentem, sed $\kappa\alpha\lambda'$ ἄλλο, id est, non in sese,
 sive sui essentiâ, sed quatenus coheret hypostaticâ Vnionem cum $\lambda\omicron\gamma\omega$,
 qui est ubique: Zanch. in præfat. lib. de relig. Dixi carnem Christi
 dici posse, sine ullâ contradictione, & omnipotentem & non omnipo-
 tentem, ubique præsentem, & non ubique præsentem, diversis nimi-
 rum respectibus; suâ enim propriâ $\epsilon\sigma\iota\alpha$ non esse, esse autem $\iota\omega\sigma\sigma\epsilon\sigma\delta$,
 quæ illi cum naturâ Divinâ communis est: Sohn. tom. 2. Oper. fol.
 398. Si humanitas non est, ubicunque est Divinitas, videl. persona-
 liter, seu personali subsistentiâ, hoc est, si non est una ubique duarum
 naturarum persona, aut si non ubique duæ hæ naturæ unitæ sunt,
 duas personas fieri necesse est: Vel conciliabuntur cum infinitudine
 DEI, & arg. Wend. ultimo, dogmata Calvinianorum negantium.
 Omnipræsentiæ substantialem DEI ipsius, ut Beza vol. I. p. 589.
 Patrem & ipsius gloriam ubique esse concedo; sed ejus tamen, qui cæ-
 lum & terram replet, veluti thronum ac sedem in cælis, in cælis, in-
 quam, illis excelsissimis tota Scriptura collocat: qua de re mirum est
 ab eo (Brentio) non fuisse expensum Tertull. locum adversus Prax.
 Scimus Deum etiam intra abyssos esse, & ubique consistere, sed VI &
 P O T E S T A T E. Danæi de elench. hæretic. fol. 119, Quod dici-
 tur Pater, & Filius, & Spiritus S. habitare in nobis, Joh. 14. non de
 essentiâ Dei, & transfusione ejus in nos est accipiendum, sed tantum
 de nostrâ per Christum connexionem cum Deo, quæ res est illi plane acci-
 dens. Pincieri tract. 4. lib. 1. de Cœnâ Dn. p. 307. Cum D E V S
 B 3 suâ

sens in omni loco & ubi? Nos quia negativam constanter amplexi sumus, à Lutheranis Nestorianismi criminatione sumus onerati, & soluta Unionis personalis accusati: Atqui negatio ubi-quitatis in statu exaltationis non magis hæc infert crimina, quàm in statu humiliationis, quia in utroque statu eodem se modo habuit Unio personalis. Quid igitur fiet πολυθυλίτω illâ πειχωρήσθ, quâ τὸ extra τὸ λόγῳ, hoc est, propinquitas substantialis in locis plurimis, à quibus abest assumpta caro, tam impotenter & insolenter exagitabatur. Syll. Quicquid Lutherani deducunt à πειχωρήσθ mutuâ τὸ λόγῳ & carnis, id referre ad solum statum exaltationis nequeunt. Omnipresentiâ corporis Christi Luth. deduc. à πειχωρ. mut. τὸ λόγῳ & carn. E. Nam & hîc Minor veritati duntaxat consentanea est, de Omnipræsentia ut operativâ, seu ratione actus primi, non ut operante, seu resp. actus secundi.

§. IV. Instantia Wend. quarta est: Interim observa, lector, calumniatores esse & Animadversores, & omnes alios Ubiquetarios à Suedis dissentientes, χεῖρον ἂν κτήσθ Omnipresentiâ à κτήσθ separantes, qui vinculum personalis Unionis à nobis solvi, & Nestorianismum induci, ad ravim usque clamitant, ex hoc fundamento, quod negamus, humanam Christi naturam in omni esse loco, seu ubi, in quo unita ipsi divinitas est. Ab hoc crimine jam pridem Lutherani Brunswicenses nos absolverunt. Syllog. A quocunque crimine pridem Calvinianos absolverunt Theologi Brunswicenses, id per calumniam Lutherani ceteri Calvinianis imputant. Atqui à crimine Nestorianismi pridem Calvinianos absolv. Theologi Brunswicenf. E. Resp. distinguendo inter Jus, & factum, indeq; limitando Maj. A quoc. crimine Jure Calvinianos absolv. Theol Brunswic. illud per calumn. Luth. ceteri Calv. imputant. Sic autem falsa Minor. Extat apud B Hutterum in Concord. Concord. fol. 1197. Notula subscriptionis, quâ se Theologi Helmstad. Libro Concordiæ olim obstrinxerunt: Wir/derer Drahmen hernach verzeichnet stehen/ wollen für dem Angesicht GDi.

tes und der ganzen Christenheit / bey den ist-lebenden / und so nach
 uns kommen werden / mit Herzen / Hand und Mund bezeuget ha-
 ben / was diese jetzt gethane Erklärung von allen vorgesezten und de-
 clarirten streitigen Articulen / in dem Buch / des Titul ist : Allge-
 meine / richtige / lauter und endliche Erholung / oder Formula Confes-
 sionis &c und keine andere / unser Lehr / Glaub und Bekänntniß sey /
 in welcher wir auch durch die Gnade Gottes mit unerschrocknen Her-
 zen / vor dem Richterstuhl Jesu Christi erscheinen und deßhalben
 Rechenschaft geben wollen / darwieder auch nicht heimlich noch öf-
 fentlich Reden / Schreiben / Predigen / Lehren oder vertheidigen wol-
 len / sondern vermittelst der Gnaden Gottes / darbey beständig blei-
 ben. *Tilemannus Heshusius D. M. Daniel Hoffmann. M. Basilius
 Sattler.* Neque nos clam est, cum Apostasiam à Concordiæ For-
 mulà molirentur *Helmstadienses*, severa admonitio Trium Sereniss. E-
 lektorum, Palatini, Saxonis, & Brandenburg. nec non Celsiss. Du-
 cis Württemberg. ad Illustriss. Ducem Brunswicensem, *Julium*, ut
 in ordinem tempestivè Theologos suos redigeret, in literis apud
 eund. *Hutt.* fol. 1190. allegatis. Das ist viel frembder / daß E. L.
 Theologi in dem Articul von der Person und Majestät Christi /
 wiederumb einen Abtritt von dem Concordi Buch nehmen / und
 das jenige / welches in Formula Concordiæ aus Gottes Wort und
 bewährten Schrifften wol und heylsam wieder die Zwinglianer gese-
 get / von neuen disputiren, und fürgeben / als solte die universalis præ-
 sentia CHRISTI in heiliger Schrift nicht gegründet / noch zu dem
 Handel des heiligen Nachtmals gehörig seyn. Auß welchem dann
 die Zwinglianer / und andere / welche bißher die Subscriptionem For-
 mulæ recusirt, einen Behelff nehmen werden. Et paulò pöst : Der-
 wegen wollen E. L. derselben Theologen im Zaum halten / und gebür-
 lich mit ihnen dahin handeln / daß sie richtig / und in dem Christli-
 chen Concordi. Werck beständig seyn : Und den Allmächtigen nicht
 zu Ungnade gegen ihnen selbst denmassen bewegen / daß Er seine
 Allmacht von ihnen abziehe / und sie auß der Kirche Gottes fals-
 len lasse / immassen hievor mehr Lehrern geschehen / welche ihnen
 selbst zuviel getrawet / und sich nicht zu andern rethen Lehrern in
 Christlicher Einigkeit halten wollen. *Sectari etiam debuisset, Re-
 ctor hic Anhaltinus, vestigia laudatissimi Anhaltini Principis Georgii,
 Doctrinæ nostræ in Lib. de Sacram. per omnia subscribentis.*

§. V.

S. V. Inst. Wend. 5. *Distinctio & separatio actus ab usu lo-*
cum habet in humanis habitibus seu potentiis: in Divinis idio-
matibus minimè. Omniscientia divina semper est actiosa,
& omnia scibilia actu intuetur: neque propriè loquendo Deus
est in potentiâ ad agendum, ita ut ab eâ in actum transeat: etsi
creatura & opera externa sunt in potentiâ ad existendum. Lon-
gè ineptius hoc cogitari potest de Immensitate & Omnipresentiâ
divinâ. Syll. Nullum Idioma Divinum admittit distinctionem
& separationem actus ab usu. Omnipresencia est Idioma divin.
E. Omnipres. non admittit distinction. & separat. actus ab usu.
 Resp. 1. committi ἀνομιαν & ἐλέγχω. Nam etiam usus est actus
 aliquis, nempe secundus, ideoq; actui, abstractè spectato, non con-
 tradistingvi debet, sed subordinari, tanquam angustius latiori. Di-
 scerni usus ab actu non concinnius potest, quam homo ab animali,
 animal à corpore, corpus à Substantiâ, Substantia ab Ente. Sed ne-
 gabit procul dubio Wendel. distingvendum esse *Usu* Omnipres-
 entia, ab *actu primo*. Proinde 2. loco inficiamur Majorem. Est
 æquè Idioma Divinum *Omnipotentia*, ac *Omniscientia*: Neque ta-
 men omnia possibilia semper actu DEUS efficit, ut omnia scibilia
 actu semper intuetur. Fuit ab æterno vis Creatrix, Redemptrix,
 Sanctificatrix in DEO, non autem in actu secundo. Creavit enim
 orbem, redemit hominem, & sanctificat redemptum in tempore.
 Sic obtinet DEUS potentiam exercendi extremum iudicium, & de-
 struendi mundum, hoc ipso temporis puncto, at non usurpat. Imò
 extendit se Omnipotentia Divina ad ea quoque, quæ neque nunc fa-
 cit, neque fecit unquam, neque facturus est. Quamobrem licet
 DEUS non sit τῆ δυνάμει, in potentiâ, neque cadat in illum ulla po-
 tentia passiva, nota imperfectionis: nihilominus adimere DEO
 potentiam activam, characterem perfectionis, vel negare DEUM
 esse potentem ad agendum, est ἀποτόμως contradicere Scripturæ,
 celebranti DEUM παντοκράτορα, Apocal. I, 8. Sicuti vocatur
 יהוה ה' Gen. XVII, 2. יהוה ה' Es. IX, 6. Omnipresentiam
 quod attinet, phrasi Script. sumptam, semper quidem conjungitur
 actus primus cum secundo in Naturâ Divinâ, cujus est Idioma, de
 C quâ

quâ Joh. V, 17. Pater meus $\epsilon\omega\varsigma$ $\acute{\alpha}\rho\lambda\iota$ operatur, & ego operor: nunquam verò si alter ab altero disjunctus fuisset, in Humanitate CHRISTI, quando hæc statum subivisset exinanitionis?

§. VI. Resp. Gerhardi II. Naturam humanam considerari vel ex se, vel secundum Unionem cum $\lambda\acute{o}\gamma\omega$. Priori respectu CHRISTUM juxta suam carnem de loco in locum abiisse, in utero Mariæ conceptum fuisse, non ubique &c. Posteriori, humanam naturam semper fuisse $\lambda\acute{o}\gamma\omega$ arctissimè unitam, ita ut ubi ϵ $\lambda\acute{o}\gamma\omega$ fuerit, ibi ϵ natura humana. Inst. Wendel. §. 6. Humana natura eo ipso momento, quo esse cepit, unita $\lambda\acute{o}\gamma\omega$ fuit, ita tamen, ut esse Natura verè humana nunquam desierit, nunquam desitura sit. Tu, quæso, lector, prestigias jam cogita. Eadem numero humana ϵ finita Natura actu simul nonnisi in uno loco fuit, eadem tamen simul, quamvis finita esset ϵ maneret, in omnibus fuit locis actu, non minus quàm immensa DEI natura. Unio personalis fecit, ut extra uterum suæ matris Christus corpore suo esset in feminarum omnium uteris, etiam tum, cum in solo suæ matris esset utero: An dici aliquid magis absorum posset? tamen assensum hoc nostrum non moraretur, modò in Scripturâ hoc ipsum, quamvis absque simili exemplo, memoraretur. Quodsi verò absque Scripturâ evidenti hoc nobis mysterium persuaderi patimur, nil nobis deinceps reliquum erit, præter bruti assensus obsequium. Quia quod difficilius credi possit, ut credamus, nihil imperari nobis poterit. Syllogismi nascuntur tres. 1. Quicquid veritatem essentia finita in Unione personali cum $\lambda\acute{o}\gamma\omega$ semper retinet, id propter hanc Unionem non est ubique. Humana Christi natura veritatem essentia finita in Unione person. cum $\lambda\acute{o}\gamma\omega$ semper retinet. E. Propter hanc unionem non est ubique. 2. Dogma absorum ϵ maximè incredibile, nullum meretur assensum. Dogma de Ubiquitate corp. Christi, est absor. ϵ maximè incredib. E. 3. Dogma $\acute{\alpha}\gamma\gamma\alpha\phi\omicron\nu$, est assensu indignum. Dogma de Ubiquit corp. Christi



βίεσι ἀγαθόν. E. Resp. ad I. negando Majorem. Cum enim
 infinita sit *ὑπόστασις ἔ λογος*, utique coram illo, quod in hac Ver-
 bi Divini hypostasi subsistit, ratione hujus subsistentiæ, non minus
 omnium locorum intervalla ad parvitatem rediguntur puncti, ac
 omnia seculorum secula ad exilitatem momenti. Ac proinde reti-
 net quidem sartam tectamq; *ἔσιν* suam Natura Christi Humana,
 & quicquid inde promanat essentialium proprietatum, ut singulas
 quantitatis dimensiones, & membrorum *συμμελείαν*, convenienti si-
 tu, ac locatione partium extra partes constantem: sed veluti natu-
 rales etiam functiones exercuit, *ἡγεμονευομένη ὑπὸ τῆς ἔ λογος*
θεότητος, quemadmodum *Damasc.* ait, ut verbi gr. ea duntaxat vo-
 luerit anima Christi, quæ Divina Verbi voluntas voluit eam velle:
 ita ad *ὑπερφυσικά* illa & *παραφυσικά ἀντήματα*, quæ propieta-
 tibus Naturæ Christi Humanæ, in quantum τῷ λόγῳ est unita, acces-
 serunt, etiam Omnipræsentia illocalis pertinet.

§ VII. Ad II. distinguendo inter rationem sibi relictam, &
 supremâ luce collustratam. Valet Major de absongo dogmate, quod
 tale est rationi jam illuminatæ & renatæ. Sic autem fallit Minor.
 Sibi quidem si relinquatur, & suis è principiis judicet ratio post la-
 psam corrupta, ridebit, tanquam *σοικῶν παραδόξων παραδοξότερον*,
 æquè hunc de Personâ Christi, & Omnipræsentia humanæ ipsius na-
 turæ, articulum, ac universa Religionis Christianæ capita, juxta illud
 Paulinum Rom. VIII, 7. *Φρόνημα τῆς σαρκὸς ἐχθερὶ εἰς τὸν θεόν:*
 Et I. Cor. I, 23. *Nos predicamus Christum crucifixum, Judæis scan-*
dalum, Ethnicis autem stultitiam: Verùm rationi illuminationis
 gratiosæ compoti, præfulgente facem revelato DEI verbo, nil pro-
 poni posse ad credendum creditu difficilius Omnipræsentia Carnis
 Christi, vel Adesentia illocali apud Creaturas, falsum. Credunt
 enim hac multò incredibiliora nobiscum Calviniani ipsi, *Mysterium*
nempe SS. Trinitatis, Incarnationis, Creationis, Resurrectionis, &
Annihilationis. De *SS. Trinitate*, eandem numero essentiam sim-
 plicissimam tribus communicari hypostasibus, per oppositas relatio-
 nes, realissimè sibi contradistinctis, ut una nequeat esse altera, quæq;
 tamen totam essentiam totaliter amplectatur: Patrem generasse
 Filium, qui *ὀλικῶς* eandem numero essentiam habeat cum Patre
 C 2 neque

neque tamen Filium generasse semetipsam, quamvis eadem utriusque sit essentia: Patrem esse Deum, Filium esse Deum, Spiritum S. esse Deum, nec tamen tres esse Deos, sed Unum numero. De *Incarnatione*, dari singularem aliquam humanitatem, absque propria subsistentia, duasque naturas, quae *ἁρμόδιον* completas, Divinam & humanam, unum constituere *ὑφιστάμενον σύνθετον*. De *Creatione*, universum hoc systematis Mundani Amphitheatrum esse simpliciter nihilo fuisse productum. De *annihilatione*, in eandem *ἁρμόδιον* Mundum redire posse; etsi annihilationem ejus actualem plerique negent expectandam esse; à quibus tamen dissent. *Beza* in *Notis Major. Rom. VIII, 20. Tilen.* part. 2. disp. 67. *Chassan.* lib. 3. L. C. cap. 22. *Polan.* in *Symph. Cath.* c. 28. De *resurrectione*, reproductum iri idem numero corpus, adeoque bis diversis temporibus fieri. Quae omnia fidei videntur longè minus proportionata minusque verisimilia, quam Omnipraesentia Deificatae carnis Christi. Est enim *subsistentia Divina* Internum quid, & realiter cum essentia idem: *praesentia* verò externum aliquid & ab essentia separabile. Si igitur illa multiplicari possit, non multiplicata essentia, cur hanc multiplicari posse, citra multiplicationem rei, per Omnipotentiam Divinam, inficiabimur? Sic rursus intimum essentialem modum praebet, Ultimamque existendi complementum addit Naturae humanae, *subsistentia propria*: externum autem & separabilem *ubicatio*, vel locatio in uno aliquo spatio. Longè igitur credibilius, ubicationem hanc à Natura humana abesse posse, quam subsistentiam propriam. Aliqua etiam suppetit proportio inter Naturam humanam, & Omnipraesentiam, tanquam aliquid & aliquid, at nulla prorsus inter ens & non-ens. Credibilior ergò possibilitas Conjunctionis inter humanitatem & Omnipraesentiam, quam transitus vel à simpliciter Non-Ente ad Ens, per Creationem, vel ab Ente ad Non-Ens, per annihilationem. Difficilius denique idem numero corpus duabus produci vicibus, quam in duobus pluribusve fisti locis. Produci enim duabus vicibus, est fieri duabus actionibus: duae autem actiones duplicem postulare terminum videntur, ab actione inseparabilem: Cum locus externa sit Circumstantia, cui aliquid contingenter adest, hoc est, ita ut abesse etiam possit sine sui interitu.

§. VIII. Ad III. negando Minorem. Comprobant Omnipraesentia-

præsentiam humanæ CHRISTI Naturæ, si pro nudâ sumatur. ἀδιακρίτως à Creaturis, toties literæ Sacræ, quoties θεάνθρωπον Unum docent esse, idq; indivisum & indivulsum ὑφιστάμενον I. Cor. VIII, 6. *Nobis VNVS est Dominus Iesus Christus, per quem omnia, & nos per illum.* Eph. IV, 5. *Vnus Dominus, una fides, Vnum baptisima &c.* I. Tim. II, 5. *Εἰς μεσίτης Dei & hominum, homo Iesus Christus.* I. Cor. I, 13. *Μεμέρισται ὁ Χριστός;* I. Joh. IV, 3. *πᾶν πνεῦμα ὃ λέγει Χριστόν, ἐκ τοῦ θεοῦ ἔστι.* Quod Oraculum cum sudes fuerit in oculis hereticorum, non semel quidem ab illis expunctum, at providâ Patrum curâ, mox fedi suæ restitutum fuisse Hist. tripart. narrat lib. I. c. 4. Colos. II, 8. *In Christo habitat πᾶν πλήρωμα τῆς θεότητος σωματικῶς.* Siquidem propter hanc ἐνοίκησιν σωματικὴν (tali sensu speciali intelligendam, quali σῶμα est Christus hoc est, ὑποστατικὴν) quâ caro Salvatoris, tam propè & arctè intra intimum λόγου complexum assumpta fuit, ut assumi propius arctiusq; nequiverit, λόγος jam Incarnatus absq; carne ne cogitando quidem concipi potest, multo minus uspiam realiter poni, non positâ simul carne, quippe quæ se habet ad λόγον Incarnatum, ut forma denominans ad denominatum, & æquè ad integritatem Personæ Christi hodie spectat, ac Natura Divina. Quicunq; verò Humanitatem Christi Unius cujusdam spatii cælestis cancellis ita includunt, ut extra illud Substantiam Corporis Christi, nullo modo, simul in pluribus adesse locis existiment, λόγον fingunt duplicem, alterum ἐνσαρκον, alterum ἄσαρκον; ἐνσαρκον, & totum in cælo; ἄσαρκον, & dimidiatum in terrâ, & per consequ. quantum in ipsis, arctissimum illud hypostaticæ Unionis vinculum dissolvunt, duosq; Christos introducunt. *Gratis Wendel. regerit: Sed ambigua sunt illa: ubi ὁ λόγος fuit, ibi & natura humana fuit. Notatur enim humana natura Omnipresentia vel intima, respectu solius λόγου, vel extima, quæ est existentia actualis in omni loco, in quo est λόγος. Priori sensu τὸ ubi & ibi improprie usurpata admittimus: Posteriori proprie usurpata, repudiamus.* Nimirum quamvis alia planè ratio sit Omnipræsentia carnis Christi, ad creaturas reliquas, quàm præsentia ejusdem ad λόγον, ut pyra torrere jubeatur à *Luthero*, qui unam discernere ab

altera nescit: Originem tamen suam, Omnipræsentia humanitatis ad creaturas, è præsentia ad λόγον, trahit: Atque adeò repudiato τῷ ubi & ibi, in Omnipræsentia extimâ, repudiari pariter in intimâ necessum est. Cæterum si Omnipræsentia termino connotetur universale in creaturas imperium, confirmant hujus communicationem sequentia dicta: Ephes. IV, 10. *Qui descendit ipse est, qui ascendit super omnes cælos, ut adimpleret omnia, nempe τὰ καὶ ὠπρὰ ἢ ἀνώτερα;* idq; respectu ejus naturæ, secundum quam ascendit, nec ante ascensionem cuncta impleverat. Ascendit, inquit Oecumenius: *ἵνα τὰ πάντα μὲν σωρὸς πληρώσῃ, γυμνῆ δὲ τῆ θεότητι πάλαι τὰ πάντα ἐπλήρῃ.* Psal. CX, 1. *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis,* collato I. Cor. XV. 25. & Hebr. I, 13. Marc XVI, 19. *Et Dominus assumptus est in cælum, & sedet à dextris Dei.* Eph. I, 20. *Deus suscitans Christum Jesum à mortuis, constituit illum ad dextram suam in cælestibus, super omnem Principatum & potestatem, & virtutem, & Dominationem, & omne nomen, quod nominatur non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro, & omnia subiecit pedibus ejus.* Hebr. X, 12. *Christus unam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dextrâ Dei.* Apoc. III, 21. *Qui vicerit, ei dabo sedere mecum in throno meo, sicut & ego vici, & sedi cum Patre meo in throno ejus.* Quemadmodum enim *dextra Dei*, non est certus aliquis & determinatus cæli locus, sed præsentissima ubi que, in cælo & in terrâ, majestas & potentia; unde vocatur *dextra δυνάμεως*, Matt. XXVI, 69. *Dextra Majestatis*, Hebr. I, 3. *Thronus μεγαλωσύνης*, Hebr. VIII, 1. *Thronus δόξης*, Matth. XXV, 21. & *magnificata* dicitur *fortitudine*, atque *confringere inimicos*, Exod. XV, 6. *fulcire pios*, Ps. XVIII, 36. *salvare*, Psal. XLIV, 4. *posse omnia mutare*, Ps. LXXVII, 11. *facere virtutes*, Psal. CXVIII, 16. Et quidem præsentissimè in cælo, inferno, & novissimo maris, Psal. CXXXIX, 7. 8. 9. Sic τὸ sedere ad dextram Dei, explicatur per τὸ βασιλεύειν, I. Cor. XV, 25. Quatenus id nempe Christo competit per gratiam, ac itidem exercetur, non è longinquo, instar Regis Hispaniæ, à plurimis ditionibus absentis, quocum ratione domini sui Christus confertur à Theodoro Bezâ, vel Caroli Quinti, cum quo comparatur à Danæo, vel Imperatoris etiam Turcici, cui assimilatur à Germano Bavaro: Sed

Sed præsentissimè. Non utitur enim Christus, ad regni sui gubernationem, vicariâ aliorum operâ, in quorum humeros onus omne regiminis devolvat, ut otio commodius indulgere possit, quin potius incumbit principatus humeris ipsius, Esai IX, 6.

§. IX. Resp. Gerb: III. *A Negatione unius presentie modi, ad negationem omnis presentie, non valere consequentiam: aliumq; esse presentie modum carnis Christi, quatenus consideratur in se, & Physicè, alium, quatenus est glorificatum corpus, alium in unione, alium in sessione ad DEI dextram.* Inst. Wend. §. 7. Præmisso ad nauseam usque Coccysmo, de disensu Suevorum & Hassiacorum, planè ἀπεσδιόυσον est, quod allegant ex I. Reg. XIX, 11. de Deo, non existente in vento, non enim locus ille agit de presentia propriè dictâ, seu propinquitate substantiali, de quâ hoc loco disputatur. Neque mysterium est in altero loco Luc. XXIV, 44. Hæc locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum. Non enim innuit Christus diversum presentie corporalis modum, de quâ ut & veritate corporis numero ejusdem ipsi testabantur sensus; sed mutationem duntaxat status humilis in sublimem, qui nec corpus Dominicum, nec modum existendi in loco mutavit. Syll. Quodcumque dictum duntaxat innuit mutationem status humilis in sublimem, id non est explicandum de distinctis presentie modis. Atqui dictum Luc. XXIV, 44. tale est. E. Resp. inficiando Minorem. Involvit quidem respectum aliquem ad antegressum statum τὸ πρῶτον Salvator, quando propter ejus cessationem, & commutationem cum sublimi, à resurrectione ad Discipulos inquit: *Se fuisse apud illos*: quasi tunc non esset cum ipsis, simul adstantibus, videntibus, tangentibus, colloquentibus: Attamen hic vel ille status, non est formaliter adessentia ipsa, sed adessentia, vel existentia in loco, aliquod connexum: Adeoq; πρῶτος Christus innuit adessentiam sui, à distinctis illis statibus, aliter atque aliter modificari; ac modum quidem presentie prioris, resurrectionem antegressæ, fuisse vilem & abjectum, conjunctum cum mortalitate. (uti ex Augustino ὁ δὲ φερέσει Oslander, ad quem Wendelinus temerè provocat) Posterioris autem, & resurrectionem subsequentiæ,
sub.

sublimem ac gloriosum, mortalitatis legibus exemptum. Cur vero locus I. Reg. XIX, 11. non agit de presentia proprie dicta? Hic tenet ἐχειμυθίαν Pythagoricam Wendelin. neq; nos difficiliori negotio negationem ejus rejicimus, quam affirmationi Beati Gerhardi opposita fuit.

§. X. Resp. IV. *A Presentia, ad modum non valere consequentiam, nec à negatione hujus vel illius actionis, ad negationem presentia, E. g. Hanc: Christus Homo passus, & mortuus est tantum Hierosolymis, quoad presentiam localem. Ε. ἢ λόγῳ personaliter unitus non fuit, ubicunq; ὁ λόγῳ fuit. Inst. Wendel. §. 9. Neq; ego consequentiam hanc unquam probaverim, neq; quisquam orthodoxus. Nescio contra quem disputet Gerhardus. Cum paulò antea contra omnipresentiam corporis Christi, mortem, quam non nisi Hierosolymis sustinuit ipse, objecisset. Frustra addit: *Etiamsi humana natura non est in loco, in quo λόγῳ est, tamen extra λόγον propterea non est, neq; unita esse λόγῳ desinit. Aliud locus, aliud λόγῳ.* Ponit enim nihilominus λόγον extra naturam humanam, & negat humanitatem ἢ λόγῳ ἀδιασπείτως, ἀδιασπίτως unitam, eo ipso dum negat in omnibus locis, ut ut illocaliter, humanitatem ἢ λόγῳ coexistere.*

§. XI. Resp. V. *Anima à corpore separationem non obesse. Esse enim unionem in Christo duplicem, naturalem unam, animae & corporis, personalem alteram, totius humanitatis cum ἢ λόγῳ: Priori soluta, non solvi posteriorem: Distinguendum igitur inter actum naturalem, & hypostaticum. Inst. Wendel: §. 10. Vim argumenti mei Animadversores vel non assequuntur, vel studiosè, minus tamen callidè & cautè, declinant: Quia nimis manifesta fraus est. Dogma communicata omnipresentia, seu ubi-quitatis, dico pugnare cum vera Christi hominis morte: Quia cum homo moritur, anima à corpore separatur, quod & Christus indigitavit, quando Latroni spem mutuae in paradiso presentia ipso crucifixionis die fecit. Atqui separari anima à corpore non potest, stante vel corporis vel anima ubi-quitate. Siquidem
ab eo,*

ab eo, quod ubique est, separari nihil potest. Syll. Quicquid
est ubique, ab eo separari nihil potest. A corpore Christi sepa-
rari aliquid potest, nempe anima. E. corp. Christi non est ubique.
Sed quotumquemq; hinc stupore non compleat stupor simul & fraus
Wendelini, non assequentis vim datæ responsionis? Quando negat
Gerhardus, obesse animæ à corpore separationem Omnipræsentia
corporis Christi, propter diversitatem unionis naturalis & hyposta-
ticae, affatim indicat, limitandam venire majorem, ex parte prædica-
ti: Quicquid est ubique, ab eo separari nihil potest ἀπὸ παντός: Atqui
sic corruere Minorem. Quia enim diversissima est unio animæ &
corporis essentialis, quæ anima, ut ἐπιλέχεια, corpus actuat & vivi-
ficat; Corpus, ut δυνάμις, actuatur & vivificatur, ab hypostaticâ,
quæ ambæ partes essentialis humanitatis ingrediuntur unius ὁφισα-
μένῃς constitutionem cum λόγῳ: Potest omnio unio altera dissolvi,
alterâ persistente salvâ & incolumi. Ut cessarit quidem per mortem
actus animæ formalis, nec amplius illa fuerit in corpore, tanquam
in materiâ, actum istum formalem recipiente: Nunquam verò sepa-
rata fuerit à corpore, quoad ἰσώρῃσιν; sed propter perpetuam
& conjunctionem hypostaticam tam animæ, quàm corporis cum
λόγῳ, semper quoque corpus cum animâ ἰσώρῃτικῶς conjunctum
manerit. Sicut in Naturâ datur Unio suppositivæ, impeditâ, ob
inhabilitatem materiæ, unione essentiali, formaliq; officio, inter
Animam & facundum sperma, v. g. granum tritici, aut filiginis, in
horreo aservatum. Etsi enim, mediante prolifico spermate, quæ-
vis planta se propaget, faciatq; aliud quale quid est ipsa, jussu Divi-
no, Gen. I, II. Germinet terra herbam virentem, facientem semen, &
lignum pomiferum faciens fructum, juxta speciem suam, adeoq; ge-
nito completam communicando essentiam specificam, æquè illi suam
communicet, per ἀλλοπίησιν, Formam, ac Materiam; nullibi tamen
prius Forma formalem consequitur actum absolute sic dictum, vel
essentialis cum Materiâ unionem, ad constituendam certam Cor-
poris Naturalis speciem, quàm idoneum sibi domicilium, neces-
sarioq; organorum apparatu instructum architectata fuerit, ut e. gr.
tunc demum incipiat Unio essentialis inter animam & materiam tri-
tici, per quam constituatur unum aliquod Ens completum, ubi gra-
D num

num tritici in plenam justamq; asurrexerit aristam, etsi ex Animâ, granoq; tritici, unum fuerit conflatum suppositum, antequam hoc gremio terræ mandaretur. Atqui hæc indissolubilis Unio hypostatica cum λόγῳ effecit, ut, quam ab ipso semel nacta erat, hyperphysicam Vim vivificandi, Vitamq; Divinam, ipsa etiam in morte caro Christi retinuerit, consistentem non in solo merito, quod pro vitâ nostrâ in mortem sit tradita, ut Wendel. divinat, sed simul in efficacîâ, quod actu insuper partam suo merito vitam spiritualem, & æternam conferat, & applicet.

§. XII. Respons. VI. *Se ultrò concedere realem, visibilem, atque localem Christi hominis in cælum ἀνάβασι, atque visibilem & localem aliquando è cælo κατήβασι: Sed propterea omnipresentiâ ejusdem divinam indivisibilem & illocalem non esse, constantissimè negare.* Inst: Wendel: §. 12. *Si Christus ante ascensionem corpore suo in cælo jam existit propinquitate substantiali, & ἀδιασπεία, utiq; ascensio lociq; mutatio vera & realis nulla fuit: Uti nec divinitas in cælum localiter & propriè potuit ascendere: Quia à nullo loco absuit, nullum de novo occupare, nullum deserre potuit, per immensitatem & omnipresentiâ suam.* Syll: *Quicumq; ante ascensionem in cælum, corpore suo in cælo ἀδιασπείως jam existit, ejus ascensio in cælum non est vera & realis mutatio loci.* Ascensio Christi in cælum est vera & realis mutatio loci. E. *Christus ante ascensionem in cælum corpore suo ἀδιασπείως in cælo non existit.* Resp: nos limitando Subjectum Majoris: *Quicumq; ante ascensionem in cælum, corpore suo in cælo ἀδιασπείως jam existit & localiter, ejus ascensio in cælum non est vera & realis mutatio loci.* Quomodo largimur totum. Locali enim ratione, quâ proportionatum dimensionibus suis spatium occupavit corpus Christi, ante ascensionem, quâ ὄντως δέσση à discipulis, & ὀρεγίως nube subductum fuit in cælum Actor: I. 9. Marc: XVI. 19. tantum existit in terris: etsi præsentia illocali tam terræ adsit, quàm cælo, evectum præcipuè, post ascensionem, ad infinitam dextram DEI, quam terminum ascensionis ultimum Gerhardus rectissimè vocat.

§. XIII.

§. XIII. *Wendel.* dum replicat §. 13. *Distingvimus inter finem & terminum ascensionis: Ille est sessio ad dextram DEI: Hic fuit locus certus, in quem migravit Christus, ascensione reali & locali, in quo ad ultimum usque diem manebit, unde ad iudicium redibit. Locum hunc, & terminum ad quem scriptura appellat caelum, paradisum: Quem in infinitam DEI dextram ab ubiquetariis transformari, omnibus modis deplorandum est. Distingvat potius inter terminum ascensionis Physicum, & hyperphysicum; ultimum secundum quid, & simpliciter. Illum præbere certum aliquem in caelo locum, fatemur: Cur verò pro termino hyperphysico, & absolute ultimo, agnoscere sessionem ad dextram Dei *Wendelinus* renuit, quam tamen elevationem corporis Christi in sublime statim excepisse, nec ipse diffitetur? An ignoravit vocabula hæc duo, *finem*, & *terminum*, multoties æquipollere? Transformari caelum illud, in quod corpore Salvator *visibiliter* ascendit, in dextram DEI ab ubiquetariis, quâ appellatione, honoris ergò, nostrates designat, Calvinistica est veritas. Novimus autem dextram DEI de certo caeli loco interpretari Sociennum *Wendel. Piscatorem* in Schol. I. Petr. III, 22. Nec Paradisus dicitur caelum naturale, in quod *visibiliter* Christus ascendit, sed beatorum illud, quod *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit*, I. Cor. II, 9. Quæ in beatum *Feurbornium* convicia *Wendelinus* evomit, non secus in Authorem recidunt universa, ac telum retorqueri solet, si in corpus solidum incidat, in eum, à quo emittitur.*

III.

CONTRADICTIONE INTER FINITAM HUMANÆ CHRISTI NATURÆ ΟΥΣΙΑΝ, ET INFINITAM ΥΠΟΣΤΑΣΙΝ Α ΛΟΓΩ COMMUNICATAM, ABS RE FINGITUR.

§. I. Ad argumentum *Wendel. IV.* *Quod in unione personali est, & manet finitum, id ubique non est, nec esse potest. Atqui Christi corpus in unione personali est, & manet finitum.*
E. Resp. B. Gerb. I. *non esse ἀνελκωτικὰ finitum esse essentia-*

D 2

liter

liter & proprietate natura, simulq; ubiqve esse ratione subsisten-
 tia personalis infinita, ab alio communicata. Inst. Wend. §. 15.
 Crudissima est contradictio: Idem actu finitum, hoc est, interno
 natura & externo loci termino circumscriptum esse, quale est o-
 mne corpus intra caeli consistens ambitum, simulq; actu ubiqve es-
 se, hoc est, nullo termino esse circumscriptum: quicunqve tan-
 dem fingatur respectus. Quod enim ubiqve totum est, quate-
 nus ubiqve est, non terminatur à se, vel ab alio: Siquidem ubi-
 qvitas omnem excludit terminum. Syll. Quicquid excludit
 omnem terminum, id citra contradictionem nullo respectu potest
 tribui natura à se vel ab alio terminata. Ubiquitas excludit o-
 mnem terminum. E. Resp. non valere simpliciter Majorem.
 Aliàs enim subsumerem: ὡσαύτως ἔ λογῶν, excludit omnem ter-
 minum: Et concluderem: E. nec ἔ λογῶν ὡσαύτως, citra con-
 traditionem, ullo respectu, potest tribui naturæ à se, vel alio termi-
 nata, quod ὁμολογούμεως ἀπὸ τῶν ἀποστόλων. Limitamus ita-
 que prædicatum Majoris: Quicquid excludit omnem terminum,
 id citra contradictionem, nullo respectu, potest tribui naturæ à se,
 vel ab alio terminata, scilicet secundum usitatum naturæ ordinem,
 vel juxta judicium ψυχικὸν rationis. Quomodo largimur totum.
 Ἄν ψυχικὸς ἄνθρωπος ἔ δέχεται τὸ ἔ πνεύματος ἔ θεός, I. Corint.
 II, 14. Multa de corpore Christi memorantur, quæ ratio è suis prin-
 cipiis ἀνθρώπινα judicat, & ἀσύστατα cum veritate naturæ huma-
 næ; scriptura tamen extra omnem dubitationis aleam collocat.
 Jam seculo secundo hæreticos prodivisse Justinus refert, qui ignora-
 to modo, & respectu conciliandi Physicas corporis humani condi-
 tiones ac proprietates, cum hyperphysicis operibus miraculorum,
 carnis Christi mutationem, in essentiam divinam, commenti fuerint.
 Sicuti Valentiniani propterea, cœlestem aliquam substantiam corpo-
 ri Dominico attribuerunt. Origenes quoque, cum legiset CHRIS-
 TUM corpore suo ambulasse super undas maris, Matth. XIV.
 Ingressum esse januis clausis, Joh: XX: evanuisse ab oculis discipu-
 lorum, Luc: XXIV. existimavit hæc omnia, & veritatem naturæ hu-
 manæ, incompatibilia esse, ideòq; Christo corp⁹ assignavit *atberium*,
aut

aut aëreum, quod nec tactui subiaceat, nec oculis cernatur, nec
pondere prae gravetur. Quale etiam nobis promittatur in
resurrectione mortuorum, sine soliditate carnis, liqore sangui-
nis, crassitudine nervorum, perplexione venarum, & duritie ossi-
um, non visurum oculis, auditurum auribus, ambulaturum pedibus,
sed visurum totum, auditurum totum, totum ambulaturum, teste Hieron.
ad Pammach. Hilarius pariter Lib. X. de Trinit. contendit corpus
Domini, quia calcat undas, & non degradatur, penetrat solida,
nec clausa domus obstaculis arceatur, non esse nostra natura, sed pro-
pria ac sua, in quo etiam tempore exinanitionis, nulla infirmitas,
& nullus dolor revera locum habere potuerint. Imò ipsi A-
postolis, conspecto jam agnitoque Christo, incessus super undis adeo
αὐτὸ φάλοδος veritati humani corporis visus fuit, ut spectrum sibi, an-
tequam Salvator sonoram hanc emitteret vocem: Ego sum; vanam
cogitatione finxerint. Qui rursus in eundem impingentes lapidem,
post resurrectionem, ita αὐτὸς αὐτοὺς censuerunt, subitaneam consterna-
tione perculsi, accessum Christi per januas clausas, cum dimensi-
bus Corporis humani, ut Spiritum sibi imaginarentur, in assumpto
corporis phantasmate, novam aliquam solatii viriumque auram adspi-
raturum, auditam jam notam voce: Pax vobis. Sed emphaticè
Augustinus: Si solus homo esset, qui hoc fecit, mirum esset, sed
si cogitaveris Deum & hominem esse, mirari desines. Omnia
enim possible sunt Deo, qui de corpore suo facit, quicquid
vult, & tamen manet corpus. Cumque Wendelinus ipse ca-
ptivam ducere rationem jubeat, quae immensitatem, & indivisibili-
tatem nequit conciliare, quare idem hic non praestat, ubi conciliare
nequit finitudinem naturae humanae cum omnipraesentia divinitus illi
communicata? Quandoquidem utraque aequè firmis scripturae testi-
moniis nititur, ut huc etiam quadret pronunciatum Augustini: in sinu
Dei non est contradictio. Et Ambrosianum illud: fides de re evi-
denti non est Fides, sed quae in impossibili possibilitatem, robur in imbe-
cillitate, in parvitate magnitudinem credit: in Wendel. autem paræmia:
Turpe est doctori, cum culpa redarguit ipsum. Taceo, quod vel Phi-
sophiae accuratori lumen, quicquid hic nebulae apparens offundit.

contradictio, abundè discutiat. Argumentamur: *Quicquid*
τὸ εἶναι rei nec à priori evertit, nec à posteriori, id ὅπως contradicto-
rium non est. Præsentia naturæ humanæ in pluribus, vel omnibus locis,
τὸ εἶναι rei nec à priori evertit, nec à posteriori. E. ὅπως contradi-
ctoria non est. Major liquet. Nec probatu difficilis Minor. Ete-
 nim si à priori Ubicatio Naturæ humanæ in Unico aliquo loco, ex-
 tra quem nullo modo eadem simul in pluribus, aut omnibus adesse
 locis posset, necessaria foret, esset locus vel Forma, vel Materia. Sed
 neutra est. Ultraq; enim Substantia, & Causa Immanens, à corpore,
 quamdiu essentia suæ constantiam retinet, inseparabilis: locus autem
 accidens, idq; externum & separabile. Non à posteriori, quia nec
 à forma fluit, nec à materiâ. Non à materiâ, quia huic tantum ortum
 debet ἀμέσως quantitas, ἐμμέσως locabilitas, quæ locationē respicit,
 ut actus primus secundum: posito autē actu primo, non protinus poni
 secundū, εὐδηλον. Non à formâ, quia ab hac, ut actu essentiali, tantum
 promanant ἀμέσως qualitates, ἐμμέσως Operationes, de quarum
 censu locus non est. Accedit, quod propria singula, eadem nu-
 mero, in Subjecto Individuo, manere soleant. Quomodo Una nume-
 ro mansit, tū in *Alexandro*, potentia loquendi, tū in *bucephalo*, poten-
 tia hinniendi. Quoties autem Unum numero corpus locum loco mu-
 tet, idem edocet *Alexander orbis Universi Candidatus*, vastissimumq;
 ejus tractum vagâ geometriâ pervagatus.

§. II. Resp. Gerhardi II. *Nec intrinsecè nec extrinsece fini-*
tum esse posse quod ubiq; est naturaliter & essentialiter; adeoq;
manifestè contradictoria esse, creaturam eandem, quoad essenti-
am suam, esse finitam, & quoad essentiam suam, simul ubiq;
esse. Inst. *Wend.* §. 16. *Non minus repugnat Natura finitati*
ubiquitas, quam Natura Infinita Circumscriptio localis & pro-
pinquitas substantialis in uno tantum loco. Syll. *Quicquid Na-*
turæ finite non minus repugnat, quam Infinita Circumscriptio
localis, id conciliari Naturæ finite nullatenus potest. Omnipræ-
sentia Nat. finite non minus repugnat, quam Infinita Circumscri-
ptio localis. E. R. negando Minorem, ob diversissimam conditionem
 Naturæ finitæ, & infinitæ. Nam perfici quidem potest, & in statum
 subli-

sublimiorem attolli Natura finita; sed non deprimi, & de throno
Majestatis suæ deturbari, vel reddi deterior Infinita, planè ἀμετέ-
βλητον: etsi, quas semel condidit in naturâ naturatâ leges, mutare
semper ad arbitrium valeat, & præter, supraq; illas agere, quicquid
vult; atque adeò eadem virtute separare ab humano corpore loca-
tionem, & affectiones reliquas ad unam omnes, quâ semel indidit,
singula sibi subjecta tenens, ipsa verò subjecta nulli. Eleganter
Philippus:

Non Deus est Numen Parcarum carcere clausum,
Quale putabatur Stoicus esse Deus.

Ille potest Solis currus inhibere volantes,
Ille velut scopulos, flumina stare jubet.

Et Justin. Mart. apol. 2. pro Christ. Præstat credere, quæ vel nostræ
naturæ, vel cæterorum hominum sunt impossibilia, quam similiter non
habere fidem reliquis. Nam & Christum Præceptorem nostrum di-
xisse scimus; quæ impossibilia videntur hominibus, Deo sunt possi-
bilia. Nec non Aug. 9. de Gen. ad. lit. c. 17. Omnis Creaturæ cur-
sus habet naturales leges. Super hunc naturalem cursum Creator
habet apud se, posse de omnibus facere aliud, quàm eorum naturalis
ratio habet: Daducho Apostolo Ephes. III, 20. DEVS potest
ὕπερ ἐκπεραιῶν ἔ facere super omnia, quæ nos petimus, aut intelli-
mus. An subjectum quoque Humanitati Salvatoris putabimus,
quicquid nominatur vel in hoc seculo, vel in futuro, Eph. I, 21. præ-
ter illum, qui subjecit, I. Cor. XV, 27. si ita se continere unius ali-
cujus spatiosi angustis cogeretur, ut extra illud alibi copiam sui no-
bis facere nullatenus posset, utur tot sponsonum verbis promissam?
De Scheckio id responsi loco capiat Wendel. quod de Ramo scribit
ex. 92. §. 16. non fuisse illum professione Theologum, sed Philosophum.

§. III. Ad παρὰ ὅλων Gerh. priorem: Non per omnia idem
esse infinitum & ubiq;, seu Omnipresentem esse; excipit Wend. §. 17.
Omnipresentia proprie dicta nihil est nisi infinitas, seu immensitas Di-
vina ad omnes creaturas actu existentes relata, neque magis differt
ab infinitate, quàm Creator à Deo. Syll. Quicquid infinitati nu-
dam superaddit ὄντων, id per omnia cum infinitate est idem. Omni-
presentia infinitati nudam superaddit ὄντων. E. Resp. inficiando,
utramque præmissarum. Majorem, quia ad distinctionem aliqualem
scilicet

scil. si non *realem*, tamen *formalem*, attributi respectivi ab absoluto, vel *χέρις* sola sufficit. Minorem, quia præter *ἀδιαφορίαν* à Creaturis, indeq; ortam *χέρις*, Omnipræsentia complectitur efficacissimum influxum, actumq; externum, quo D E U S singulis adest, implendo coelum & terram, continendo, conservando, gubernando, & movendo omnia.

§. IV. Inst. Lutherani ex propria hypothesis omnipræsentiam ab infinitate, tanquam effectum à causâ, non possunt distinguere; etsi quandoq; nonnulli ita loquantur: quia infinitatem Dei referunt ad attributa Dei *ἀνεργητά*. Atqui *ἐνεργητικόν* esset, si effectus eius omnipræsentia esset. Syll: Quicumq; Omnipræsentiam referunt ad attributa *ἐνεργητικά*, illi hanc discernere ab Infinitate, ut effectum à causâ, nequeunt. Lutherani Omnipræs. referunt ad attributa *ἐνεργητικά*. E. R. distinguendo inter Causam adequatam, & inadequatam. De illâ intelligenda Major. Et ita conced. totum, cum juxta nos Omnipræsentia actualis, & operosa apud Creaturas, oriatur partim ex infinitudine, partim ex Omnipotentia & liberrimâ Voluntate Dei. Etsi non rarò tum apud Patres, tam apud alios Orthodoxos autores, Omnipræsentiæ vox accipiatur fundamentaliter & radicaliter, pro ipsâ immensitate & Infinitudine Divinæ Majestatis, quâ in se incomprehensibilis, & incommensurabilis loco, sibi omnia, sibiq; locus est. Viderint Wend. contribulles, quo pacto concilient Polanum Liboz. Syst. c. 12. C A V S A Vbiq; præsentis & Vbiq; itatis, sola atq; unica est essentia immensitas & infinitas. Causa enim nunquam est *ἑωτὸν* eum suo effectui.

§. V. Contra monitum posterius: Non simpliciter contradicere ubiq; itatem & finitatem, respectu ejusdem Naturæ; nisi etiam dicantur *ἑωτὸν*, ita ut eadem Natura simul statuatur & finita per e. sentiam, & ubiq; præsens per e. sentiam: Excip. perinde heic Philosophantur hi Theologi, ac si quis diceret ignem simul esse calidissimum & frigidissimum, sine contradictione, quia non per eandem causam; esse enim calidissimum per summum calorem, & frigidissimum per summum frigus ab externâ accedens

dens causà: eundem hominem simul esse prudentissimum & stolidissimum &c. Syll. Si idem ignis nequeat esse simul calidissimus & frigidus. idem homo simul prudentis. & stolidus. sine contradictione, per diversas causas, utiq; nec eadem natura humana, absq; contradictione, pro varietate causarum, potest statui tum finita, tum Omnipresens. At Verum prius. E. & posterius. R. per inficiat. Minoris. Quid enim prohibebit, quin idem paganus, e. g. Socrates, Plato, Aristoteles, & prudentissimus sit, ob diturnum rerum usum & experientiam, circa res civiles, & stolidissimus, ob naturæ corruptionem, & mysteriorum sublimitatem, circa Spirituales? Nos predicamus, inquit Apostolus, Christum crucifixum, Judæis scandalum, græcis stultitiam: quia & Judæi signa querunt, & græci sapientiam I. Cor. I, 23. Imò quoties vel in purè Civilibus, & naturalibus, Magnus dormitat Homerus? Ut vix ullum reperias Magnum Ingenium, sine mixturâ dementiæ. Odiosum nî foret quicquid præterea suppetit exemplorum, arcescere aliquod liceret à Wendelino ipso. Sat ille præse fert tum sagacitatis, in scriptis Philosophicis, tum stoliditatis, in Theologicis, atq; præsentiam etiam exercitatione. Sic idem renatus, citra contradictionem, & delectatur lege Dei, quatenus est renatus, agiturq; à Spiritu Sancto, & non delectatur, quatenus adhuc carnalis est, vel propter reliquias peccati Originalis. Rom. VII, 22. 23. In igne, licet concurrere nequeat summus calor cum summo frigore, ob causas diversas, potest tamen id fieri in aquâ. Frigida hæc semper manet, si non quâ actum secundum, tamen quâ primum, per Naturam; & sentitur tamen interdum fervidissima, per & propter ignem aquâ permixtum. Quotumquemq; adhæc latet, ad veram Contradictionem non tantum requiri τὸ αὐτὸ; verum etiam opus esse, ut intelligatur affirmatio, & Negatio πρὸς τὸ αὐτὸ, κατὰ τὸ αὐτὸ, & ἐν αὐτῷ χρῶν, καὶ τὸ πῶ: Quarum Conditionum si Unica desit, mox exspirat vera Oppositio.

§. VI. Resp. Gerh. III. Carnem Christi semper esse & manere finitam & circumscriptam intrinsecè, non vero inseparabiliter circumscriptam extrinsecè & ratione loci phisici, quatenus

E

assumta

assumpta est in λόγον illocalem & incircumscriptum, & regnat in
DEI dextrâ incircumscriptâ. Inst. Wendelinus §. 19.

Quæ quæso est consequentia ratio? Caro assumpta in λόγον illoca-
lem & incircumscriptum & erecta ad dextram Dei illocalem,
à λόγῳ non locatur & circumscribitur, neq; à Dextrâ Dei: Ergo
extrinsecè non est circumscripta, ratione loci phisici, adeoq; nullo
continetur loco, sed in omni & extra omnem locum simul ubiq;
est, sine ullâ loci circumscriptione. En stoliditatis & stuporis

Wendeliniani vivum documentum! Negat Gerhardus circumscribi
carnem Christi loco Phisico, QUATENUS assumpta est in λόγον
illocalem, & QUATENUS regnat in Dei dextrâ incircum-
scriptâ. Formare igitur decet, ex mente B. Gerhards, hunc Syllog.

Quicquid assumptum est in illocalem & Incircumscriptum λόγον,
& regnat in Dextrâ Dei Incircumscriptâ, id ita est finitum &
Circumscriptum ὑπερώς, ut simul sit Incircumscriptum ὑπερω-
τώς, QUATENUS est assumptum in λόγον, & QUA-
TENUS regnat in Dextrâ Dei. Caro Christi est assumpta & c. E.

Ut temerè exclamet Wendel. triumphanti similis, jam Trojà captâ:
Aures arrigite.

In toto exinanit. Statu caro assumpta in λόγον
illocalem & incircumscriptum, non locabatur, & circumscribeba-
tur à λόγῳ: Ergo extrinsecè non fuit circumscripta ab ullo loco
Phisico. Exulat enim ab hoc enthymemate quod πρὸς τὰ ἄνω
sendit, omnis absurditas, observatâ modò iterumq; Conclusioni ap-
plicatâ eadem cautelâ particulæ limitativæ QUATENUS.
QUATENUS Caro Christi assumpta fuit in illocalem λόγον,
nec in toto exinanit. statu, circumscripta est loco, sed secundum
Naturalem essendi rationem, non divellendam quidem ab ὑπερώσι
planè singulari, attamen distinctissimam.

§. VII. Ita sine adversario Wend. pugnat dum pergit:
Si intrinseca finitudo atq; circumscriptio carnis non impeditur, aut
tollitur per assumptionem in λόγον illocalem & incircumscriptum:
Cur quæso extrinseca circumscriptio à loco veniens naturali per
assumptionem in λόγον illocalem impediatur & tollatur? Minus-

ne

*ne ferre λόγος ἀπερίγραπτος potest corporis verè humani intra
mundi ambitum existentis extrinsecam, quàm intrinsecam Cir-
cumscriptionem? Disertè, dilucidè & fundamentaliter responde te.
Nim. optimè compatitur ut actus Personalis Naturalem, ita ortam ex
actu Naturali circumscriptiōe Ultramq̄, tā extrinsecā, quàm intrin-
secā, quicquid hyperphysicæ prærogativæ, ex actu Personali, accessit:
Cavendū verò, ne propter Naturales Carnis Christi conditiones, vel
negetur Majestas Divina, quam ὑπερβατικῶς possidet, vel hujus nor-
mam & mensuram constituamus captum Intellectus nostri, eiq̄; Ma-
gisterium fidei committamus. Verè quidem Naturale corpus
Christi est, sed non merè Naturale, tam quoad ὑπόστασιν, quàm quoad
ἰστίαν. Quamobrem etiam verè quidem Naturalibus præditum
est Affectionibus, sed non merè Naturalibus: quin potius præter
has, alias sibi vindicat longè potiores, quæ quales, & quantæ sint, uni-
cè ex revelatio Dei verbo discendum, sequestrato quocunq̄; rationis,
cujus decempedā immensos Religionis agros metiri frivolum, sive
suffragantis, sive refragantis, dictamine. Itaq̄; nec Incircumscri-
pta ὑπόστασις tollit, à Corpore Christi, ullam Circumscriptionem
Naturalem, nec ulla naturalis Circumscriptio Incircumscriptam
ὑπόστασιν. Hanc disertam, dilucidam, & fundamentalem Re-
sponsonem ab æquo Lectore judicatum iri, non speramus, sed
confidimus.*

§. VIII. Resp. Gerhardi quarta: *Humanam CHRISTI
Naturam non posse ubiq̄; omnipresentem esse, nisi per Subsistenti-
am personalem infinitam à Filio Dei communicatam; uti nec
λόγος ubiq̄; potest esse absq̄; infinitate. Inft. Wend. §. 20.
Cur ita tergiversamini? Cur non dicitis Svedicā παρρησία, nisi
propter communicatam infinitatem; cum ὑπόστασις λόγος ubiq̄;
esse non possit nisi per infinitatem ab æterno communicatam?
Hypocriticus est metus nolle dicere, carnem esse infinitam, & su-
dere dicere eandem esse omnipresentem. Syll. Quicquid est
Omniprensens per Infinitam Subsistentiam, à Filio Dei communi-
catam, id omniprensens quoq̄; dicendum ob communicatam.*

Infinitatem. Caro Christi est omnipres. per infinitam Subsist. &c.
E. R. limitando, ex parte prædicati, Majorem: Q. est omnipres.
per infin. subsist. à Filio Dei commun. id omnipresens quoq; dicend.
ob communicat. Infinitatem sc. *ἢ non ἀμέσως, τὰμὲν ἐμμέσως.*
Quomodo absque nemini videbitur Conclusio, concedenti saltem
carni Christi *ἐνοίκησιν σωματικὴν παντὶς τῆς πληρώματι* ὁ *Ἰησ*
θεότη ὁ *Col. II.* Omnis enim plenitudo Deitatis, nil sinens exclu-
di, quod ad Deitatem pertinet, etiam Infinitatem comprehendit.
Nondum tamen sequitur, Carnem Christi non minus esse dicendam
Infinitam, quam Omnipresentem. Prædicamus enim, duce Scri-
pturâ, cujus vestigiis strictè insistendum, de humanitate Christi,
non nisi ea Idiomata Divina, quæ sunt *ἐναργητικὰ*, & tam ad usurpa-
tionem, quàm ad possessionem, fuerunt communicata.

§. VIII. Resp. V. *CHRISTI carnem finitam, per Unio-
nem infinita ὑπεστάτως participem, nihilominus esse omnipresen-
tem.* Neq; presentiam apud omnes Creaturas abolere veri-
tatem & finitatem Humanitatis, cum τὰ subsistere in infinitâ
λόγῳ Personâ eam non aboleat. Inst. Wend. §. 21. *Quis neget
omnipresentem & ubiq; carnem esse oportere, quæ ubiq; oraliter
manducanda est. Subsistere in infinita λόγῳ Personâ, cum Ve-
ritate & finitate Humanitatis consistit: Omnipresentia verò cum
ejusdē veritate & finitate minimè consistit; ut hætenus vidimus.
Si vel centies millies repetatis, Omnipresentia convenire cum fi-
nitate & Veritate Nat. hum. ne semel quidē Orthodoxi credent:
manebitq; irreconciliabilis contradictio, baud secus acsi quis di-
cat locali Circumscriptioni Naturæ Divinæ convenire cum ejusdem
Veritate & immensitate.* Et nos hucusq; Vidimus, Vici-
musq; , Dei gratiâ, futilitatem argutarum Wendelini, contra Con-
ciliationem Communicatæ à λόγῳ Omnipresentiæ, cum veritate
Humanitatis Christi; ostensâ insuper ratione, quare sic non liceat
transferre, ad Naturam Divinam, imperfectiones humanitatis, ut hu-
manitas particeps evasit perfectionum Divinarum. Si credere no-
luerint heterodoxi Incircumscriptam Omnipresentiam *θεανθρώπου*
totius,

totius, tot suffultam testimoniis, quia non vident, suo id faciant periculo, nos viridi memoriâ circumferimus illud Joh. XX, 29. *Beati qui credunt, nos tamen vident.*

§. X. *Contra Observationem B. Gerhardi: Subsistere (in Persona ἢ λόγῳ) modis omnibus esse sublimius & augustius, quam presentem esse Creaturis omnibus; Excipit Wend. §. 22.*

I. *Subsistere Naturam humanam, sensu Lutherano, per communicationem ὑπόστασις ἢ λόγῳ erroneum & falsum est. Scilicet. Ἄνθρωπος ἔφα.* Si accusasse sufficiat, quis innocens erit. II. *Cur subsistere illud sit modis omnibus sublimius & augustius, quam presentem esse Creaturis omnibus? Anne ὑπόστασις Divina omnibus modis sublimior & augustior est, quam immensitas & Natura Divina? Quærendum potius ex Wendelino, quo jure confundat iterum immensitatem cum Omnipræsentia? Colligimus breviter: Omnipræsentia non est ab æterno. Omnipræsentia est Immensitas, & Natura Divina. E. Immensitas & Nat. Div. non est ab æterno.* Conclusio apertè impia est & blasphema. Falsa igitur, necessariò agnoscenda altera præmissarum, cum è veris præmissis legitimè dispositis, semper verum sequatur *συμπέρασμα*. At certissima Major, quia non fuerunt ab æterno Creaturæ, ad quas Omnipræsentia refertur. Latitabit igitur falsitas in Minori, quæ est Wendelini. Ratio autem, cur sublimius & augustius sit subsistere ἐν τῷ λόγῳ, quam Omnipræsentem esse, jam superius allata fuit, quòd *Universa Creaturarum Sphæra, quam Omnipræsentia respicit, ad immensam ὑπόστασιν Divinam, se habeat instar puncti, imò nihili.*

Es. XL, 12. *Quis mensus est pugillo aquas, & calos palmo? Sap. XI, 23. Tanquam momentum statera, sic est coram te orbis terrarum, & tanquam gutta roris antelucani quæ descendit in terram.* III. *Ut maximè aliquid vobis dem quod vultis, tamen non omne, quod vultis, do. A positione majoris ad positionem Minoris non valet consequentia, nisi forte majus necessaria & proxima sit minoris causa, aut inseparabiliter connexum.* Verum neq; petimus hîc argumentum à Majori in re: sed à minus

probabili & credibili, quod diversissimum, indeq; concludimus magis probabile & Verisimile: Quo sensu de τῷ Magis & Minus Arist. agit 2. Topic. 10. Idq; juxta Axioma Logicum: si illud est, quod minus est probabile, etiam alterum erit, quod magis est probabile.

§. XI. R. VI. Mediatè Infinitatem humanitati esse communicatam, sed non immediatè Infinità esse dicendam: quia hoc modo Infinitas *ἐν τῷ φανερῷ* Naturæ humanæ repugnet. Inst. Wend. §. 23. Quid attinet morosum esse circa nomen, ubi res ipsa asseritur? Syll. Quicunq; Naturam Christi humanam reipsâ infinitam asserit, ab hoc etiam infinita dicenda est. Gerhardus Naturam Christi humanam reipsâ infinitam asserit. F. R. negando Minorem, quæ nisi Calvinizet, hoc est, strenuè mentiatur, quid tandem erit mentiri? Calumniandum forte censuit Wendel. audacter, quod semper aliquid hæreat. Hærebit autem tamdiu criminis plaga in Wendelino, donec quidam è Gerhardi Operibus proferatur locus, qui asseritionem imputatam *κατὰ πρᾶγμα* contineat. Quod ad Calendas Græcas futurum est.

§. XII. Resp. VII. Non necesse, si aliquod Idioma Deitatis habens rationem effecti, quale est Omnipresentia, predicetur communicativè de humanâ Christi Naturâ, ut etiam predicetur id quod rationem causa habet, ut infinitas. Inst. Wend. §. 24. Quid fiat, quod immediatè de humanâ naturâ predicari effectus possit, seu actus secundus, de quâ causa, seu actus primus, predicari non possit; Cur non eadem ratione negant Lutherani omnipotentiam & omniscientiam de humanâ Naturâ immediatè predicari, quamvis effectus & actus secundi earum immediatè ei tribuantur. Nugæ! Fiat Syllog. De quocunq; predicari potest effectus, etsi non predicetur causa, illi quoq; tribui potest Omniscientia ac omnipotentia actus secundus absq; actu primo. De humanâ Christi Naturâ predicari potest effectus, etsi non præd. causa. E. R. limitando Major. De quoc. prædicari potest effectus promiscuè quilibet, etsi non præd. causa, illi quoq; tribui potest Omnipot. actus primus absq; secundo. Quomodo fallere Minorem,

inst. Wend.

gem, à mente B. Gerbarði prorsus alienam, ostendit Nota particula-
 ritatis, dum negat, Necesse esse, si ALIQUOD Idioma Deitatis, ha-
 bens rationem effectus, prædicetur de humanit. ut etiam prædic. id
 quod habet rat. causæ. Et quidnam sibi volunt ista nugamenta :
*Omnipresentiã esse ἐνέργειαν infinitatis repugnat Theologia Lu-
 therana, quæ Infinitatem refert inter Idiomata Dei ἀνεύρητα,
 & ex hoc ipso principio, communicari mediatè, non immediatè,
 docet.* Quæ hîc intemperantiæ Wendelinum agitarunt, ut obli-
 vionem induxerint discriminis inter ἐνέργειαν, & ἐνέργημα, actionē,
 & effectum. Quatenus ἐνέργεια est Omnipræsentia, sive pro Univer-
 sali sumitur in omnes Creaturas Dominio, fuit sanè nonnisi ex O-
 mnipotentia, & liberrimâ Voluntate Dei: prout autem ἀνάστασιαν
 solam à Creaturis notat, ἐνέργημα existit, sive effectus Immensitatis,
 & quidem per emanationem: quomodo etiam à materiâ produci
 quantitatem novimus, utut illa nullas exerceat operationes externas.

IV.

IMMENSITATEM PRÆSUPPONIT OMNIPRÆSENTIA TANTUM IN EA NATURA, CUI COMPETIT PER SE.

§. I. Argumentum Wend. V. *Quicquid est omnipræsens,
 seu in omnibus locis simul, & quidem citra substantia extensio-
 nem, id est immensum, spirituale, & simplicissimum. Atqui
 Christi corpus non est immensum &c.* Resp. B. Gerbardus I.
 Connexum propositionis negando, quia Omnipresentiã Corpo-
 ris Christi sacra Scriptura stabilit, immensitatem rejicit. II. limi-
 tando Majorem: *Quicquid per naturam & essentiam est O-
 mnipræsens, illud est immensum & simplicissimum. Atqui hoc
 modo humana Christi natura non est omnipræsens, sed per hypo-
 stasin immensam & λόγῳ communicatam.* Inst. Wend. §. 27. ex-
 tra liram quasi rationis abreptus: *Ad imitationem Animadverso-
 rum & nobis ita licebit inferre: Quicquid per naturam & es-
 sentiam est omnipotens & omniscium, de eo omnipotentia & o-
 mnis-*

omniscientia immediate potest predicari. Atqui hoc modo natura Christi humana, non est omniscia & omnipotens, sed per hypostasim omnipotentem & omnisciam communicatam. Forma vitium non attingo. Limitaverat Gerhard. Majorem, quæ Subjectum, hoc pacto: Quicquid, per naturam & essentiam, est omnipræsens, illud est immensum & simplicissimum: Ac mox addiderat: hoc modo, per essentiam & naturam, humanitatem Christi non esse omnipræsentem; adeoq; sic concesserat Syll. totum, cum Hum. CHRISTI natura sit alio modo omnipræsens, nempe per hypostasim & λόγῳ communic. Wendelinus Respondentem, & quidem accuratissimè, transformat in Opponentem, & novum nescio quem Syllogismum cudentem, ut reformandi saltem, vel deformandi potius, & calumniandi ansam sortiatur. Quid tandem erit ineptire, quid causam pessimam prodere, si hoc non est?

§. II. Resp. III. Non sequi: Christus juxta carnem suam est omnipræsens: Ergo juxta carnem suam est immensus & infinitus: quia non sequitur: Humana natura assumpta subsistit in infinità & aternà hypostasi. E. est infinita & aterna. Inst. Wendel. §. 28. Utrumque sequitur, sed non ex eadem hypothesis. E prioris Enthymematis antecedente concessio inferitur necessario consequens: quia immensitas nihil est aliud, nisi Omnipræsentia ad omnes Creaturas relata. (Omnipræsentia, forsitan scribere voluit, nihil est aliud, nisi Immensitas ad omnes Creaturas relata, ut supra, transeat σφάλλμα hoc sive mentis, sive manus.) Posterioris consequens ex antecedente quoque inferitur necessario, si hypothesis admittatur Lutherana, de communicatione hypostasis infinita & aterna. Confundens ex integro Omnipræsentiam cum Immensitate, tam ratione amplitudinis, quàm durationis, diversissimà, neque in mundo tantùm, neque extra mundum tantùm, sed utrobique constituendâ, Nazianz. Lib. 2. de Theol. Quid verò efficit, ut, admisâ hypothesis Lutherana, de Communicatione hypostasis infinitæ & aternæ, infinita, & aterna natura Christi humana evadat? Hic aqua Wendel. hæret, ut verbum non amplius addat.

§. III. Negat verò §. 29. sequelam pronunciat Gerbardiani:

Si

Si humana Christi natura esset immensa, non posset dici omnipresens per Unionem Personalem: Quidni! exclamans, Nam si per Unionem personalem esset Omnipresens, per eandem necessario esset immensa: quia omnipresens sine immensitate ne cogitari quidem potest. Falsum & hoc. Si ne cogitari quidem, sine Immensitate, Omnipresens possit, neque cogitare licebit & concipere vel Mundum, ad quem refertur Omnipresens, sine extramundanis Spatiis, ubi perinde adest Immensitas, ac in Mundo; vel tempus, quo Omnipresens cum Mundo caput, sine aeternitate cum Immensitate connexa.

§. IV. Negat porro § 30. connexi probationem: *Quicquid est naturaliter proprium carni, illud ei non communicatur per Unionem personalem: & quicquid ei communicatur per & propter Unionem Personalem, illud ei non est naturaliter proprium. Verissimum hoc est, inquit, sed ad connexum probandum nihil adferri ineptius poterat: nisi ita reformetur connexum: Si Natura Christi humana ex se esset immensa, non posset dici omnipresens per Unionem personalem. Atqui tale antecedens non erat. Quis unquam ita deliravit, ut Naturam humanam ex se omnipresentem & immensam esse dixerit? Tam accurate disputant! Accuratus certe Wendelino, præ immodico deformandi studio, non capiente Vim demonstrationis, quam, majoris evidentiae causâ, huic includimus Syllogismo: Quicquid est Omnipresens per Unionem personalem, ei Omnipresens non est propria: ratio, quia proprium Subjecto competit non κατ' ἀλλο, sed per se, & naturâ. Caro Christi est omnipresens per Unionem personalem. E. Omnipresens ei non est propria. Porro: Cuiuscumque Omnipresens non est propria, id nullatenus est immensum. Ratio, quia ex immensitate non aliter proficiscitur Omnipresens, quam ut proprium, quod Subjecto inest per ipsam conditionem Naturæ. Carni CHRISTI Omnipresens non est propria. E. Quæ contra Subsistentiam carnis Christi in infinita & illocali τῆς λόγου ὑπόστασις, salvâ sui unitate numericâ, nec non contra rationem.*

F

nem.

nem præsentiæ Divinæ, quæ ubicunq; sit, ibi & caro sit, Wendel. 3. 32. 33. regerit, videl. *Crudissimam esse contradictionem, si statuatur corpus in Uno tantum loco localiter præsens, in aliis autem omnibus illocaliter præsens: Omnipræsentiæ illocalem, indivisibilem præsupponere immensitatem spiritus; tam crudam redolent crambem aliquoties appositam, ut merito tandem ejus nauseam contraxerimus.* Superius etiam, quomodo communicata sit Humanitati Salvatoris Infinitudo, nempe non immediatè, sed mediatè, interventu attributorum aliorum, Omniscientiæ, Omnipotentia, Omnipræsentiæ, quippe quæ Infinita sunt singula, non quidem ad prædicationem, attamen ad possessionem, jam docuimus. Ut justo audentius illam à B. Huttero prædicatam Vitebergæ Wend. perperam arbitretur, nos autem inani *ταυτολογία* superledendum rectius censeamus.

V.

ETSI IGNORETUR SPECIALIS MODUS, QUO INFINITA NATURA DIVINA ITA EST INTRA FINITAM HUMANITATEM CHRISTI, UT NUSQUAM SIT EXTRA ILLAM, TENENDA TAMEN RES IPSA.

Sextum & ultimum argumentum: *Quicquid intra finitum ita est, ut extra id simul non sit, id finitum est.* Atque Divina Christi Natura non est finita. E. intra finitum, nempe assumptam carnem, ita non est, ut simul extra eam non sit: Intactum mansisse Wend. gloriatur §. 34. non credens ita τῆς διανοίας ἀρρωστία laborare Animadversores, ut satisfacisse se credant, dum hoc reponunt; Non necessum est Infinitam λογικὴν naturam fieri finitam, si non sit extra carnem (finitam) cum unio hæc non sit localis, sed mystica & μονότροπος. At nisi ἀρρωστία τῆς διανοίας ingenti hæc laborasset Wendel. omnino data Responsione B. Gerhardi solidissimâ, penitus incisum argumenti nervum, idq; devictum omni ex parte ac debellatum fuisse, facile perspexisset. Dum enim perhibetur, Unionem hypostaticam Deitatis Christi, & Deificatæ carnis, non localem esse, sed mysticam & μονότροπον, ideoq;
Infi-

Infinitam τῆ λογ Naturam non fieri finitam, licet non sit extra finitam carnem: sapienti sat dictum, limitandum esse Subjectum Majoris: Quicquid intra finitum ita est, *sc. modo Vulgari, sive definitivo, sive Circumscriptivo*, ut extra id simul non sit, id finitum est. Et ita concedendum totum: Divinam Christi Nat. intra finitū (assumptam carnem) ita non esse, modo vulgari, sive definitivo, sive Circumscriptivo, ut simul extra id non sit. Quandoquidem Unio Divinae & humanae Naturae in CHRISTO, mutuaq; περιχώρησις, per quam nec humana Natura subsistit extra Divinam, nec Divina extra humanam, mirabiliter sit singularis, & singulariter mirabilis, ἀνεκφρασίῳ, ἀνεκφώνησι, ἀνεκδιήγησι, absq; omnium extensione humanitatis per omnia locorum intervalla, tum inclusione locali Deitatis intra angustias carnis. Cujusmodi, crassos conceptus Calviniani Nostribus imputant, dum in illorum refutatione ita versantur, ac si opinarentur Christum, instar grandis ejusdam Polyphemi, capite quidem collocari in Oriente, pedibus autem protendi usq; in Occidentem, brachiisque complecti Meridiem & Septentrionem. Itaq; cum ad Judicium Lectoris Wendel. provocet, & nos illud masculam fronte praestolamur, concludentes Wend. verbis: *Judicet in*

*vo vel mica est judicii, an hoc modo solvatur
argumentum.*



tam brevis, quam tempus, externa
sit circumstantia; inhaereat
autem, sive subjective inest
corpori, locubilitas & temporalitas,
tanquam potentia, per quam id
aptum naturae est tunc contineri
aliquo loco, tunc mensurari
tempore. Dis p. 19, II, § 7.








Restaurierung
H. D. Lomp
36110 Schlitz







B.I.G.

Farbkarte #13



THEOLOGICA,
 DE
 AESENTIA
 CHRISTI,
 RO
 HARDO,
 EXERCITATIONEM LIV.
 AM
 tente Gratiâ,
 norum Academiâ,
 Facultatis Theologicæ,
 S I D E
 E L A G O,
 D. & P. P.
 ndam proponit
 R R U N G I U S,
 IS R U G I A N U S,
 & Philos. Stud.
 ril. hor. matutin.
 S W A L D I Æ,
 i Acad. Typographi 1662.

20

